


VITA

FRANCISCI MANERAE

SODALIS SOCIETATIS IESU

AB

Aloisio Palumbo

EIUSDEM SOC. SOD.

SCRIPTA.



NEAPOLI
EXCUDEBATUR TYPIS HAEREDUM MIGLIACCII
ANNO MDCCCXLVIII.

LECTORI

Duo miraberis, amicissime lector, in hoc libello. Primum, quod hac tempestate Societati Iesu adversissima ego Iesuita de Iesuita scripserim: alterum, quod id fecerim latine. Verum ego admiratione tua non deterreor. Quoad enim primum, alte mihi in animo illud insidet, quod veritas neque serviat, neque servire temporibus debeat. Veritas namque superat tempora, neque vinci unquam temporibus potest, quantum haec illam opprimere conentur. Ea enim fidelem semper quempiam invenit historicum, cui se, suaque committat. Eccur autem ego historicus illam proderem? At vero, inquies, uti prudentiae est veritatem manifestare in loco, ita et imprudentiae eam extra tempus exponere: tritum enim Terentianum est adagium, quod veritas praesertim extra locum exposita odium pariat (1). *Atqui id mihi gloriosum accideret, ut osores mei iidem et osores essent veritatis; hacque de gloria mihimet gratularer. Verum haud extra locum narratam autumo hisce temporibus Iesuitae vitam. Id enim narratum praecipue putatur in loco, quod suo maxime servit σκοπῳ. Iamvero quid hac tempestate commodius ad Iesuitae vitam explicandam offerri poterat, qua homines profligatissimi, ac perditissimi, omni*

(1) *Andr. Act. I. sc. 1. v. 41.*

quo possunt conatu, in Societatem Iesu invehuntur? Nonne Iesuitae vita, quae historica sit simplicitate enarrata, hisce nugivendis est apertissima refutatio? Neque heic illas repetas nugas, quibus blaterones solent fucum facere imperitis dictitantes, membra quidem Societatis nostrae esse integra, totum tamen corpus vitiis esse affectum. Mihi, qui Societatis indolem probe novi, isthaec obiectio semper movit risum. Praeter enim quam quod mente concipi nequit totum quodpiam vitiatum, integris eius partibus, vel totum aliquod integrum, eius partibus vitiatis, talis est Sodalitatis nostrae constitutio, atque ita membrum unum est alteri subiectum, arctissimoque vinculo colligatum, ut fieri nullo modo possit, ut unius vitia alterum non sentiat solum, sed et iis imbuatur, atque in eius medullis illa penitus inhaereant. Si talis ergo est Societatis nostrae indoles, id quod ipsimet non diffitentur adversarii, qui fieri potest, ut homo in Societate quasi a puero enutritus iis non sit imbutus vitiis, quibus infectum Sodalitatis corpus venditatur? Atqui talis profecto fuisset Manera, cuius vitam explico. Is enim adhuc impuber Societati nomen dedit: fuit nostrarum institutionum diligentissimus custos, atque defensor acerrimus: sua omnia dictaque factaque ad unam legum nostrarum normam semper exegit. Paucis: Manera fuit Iesuita quam qui maxime. Si Societas ergo fuisset vitiata, quonam fieri pacto potuisset, ut eius vitia Maneram vel invitum non inquinassent, qui ab ineunte adolescentia ad supremum usque diem Societatis leges, instituta, consuetudines, praecepta, monita, disciplinam mordicus adeo tenuit semper, atque custodivit? Cum igitur Sodalis vita enarratur, qui non modo iniustis So-

cietati notis caruit, sed fere omnibus abundavit virtutibus, nonne ea est hisce nugatoribus, ut ante dixi, aperta refutatio? Sed ad alterum caput, in quo me breviorem futurum spondeo. Scripsi latine, quod mens mihi fuerit serviendi viris praesertim doctis. Ab his enim parum, aut nihil esse timendum semper sum arbitratus. Deiu nolebam Italiae finibus coangustari. Eccur enim ab legendis meis opusculis, qualia tandem cumque ea sint, externas vellem exclusas nationes? Iamvero latinus sermo ita nullius proprius est gentis, ut sit omnium commuuis. Sed quod caput est, studium latinarum litterarum, quo vehementer incitor, ac desiderium, quo ardeo, ut latinitas provehatur, me impulit ad hanc vitam latine conscribendam. Scio equidem, me in tempora incidisse, quibus Itala iuventus falso patriae amore elata latinas, immo maternas litteras prope nihili facit. Quid ergo? Ab studio latinarum litterarum provehendo cessandum? Id plerique faciunt, desperata latinitatis causa. Verum ita ego faciendum nec sensi unquam, nec sentio. Immo quantum alii maternam Italiae linguam spernere connitentur, tantum ego eam provehere uti antehac conatus sum, ita et conabor. Si quid exinde apud praesentes asseculurus fuero, vix scio. Illud certe apud absentes, atque apud posteros adsequar laudis, quod ego in tanto latinitatis contemptu contra saeculi impetum iverim, ac latine scripserim. Haec tibi volebam, lector humanissime, prius manifestare, quam huius vitae lectionem aggrederere. Si mecum consentis, eam lege: sin dissentis, pone. Sic tibi consules, et mihi. Vale.

FRANCISCI MANERAE

SOD. SOC. IESU

VITA

I. **A**b Cherio urbe in Subalpinis ad sextum ab Augusta Taurinorum lapidem, vetusta, et praeclaris factis illustri, Manerae familiam primum transtulit Neapolim Franciscus Manera nostri Francisci avus anno aerae christianae millesimo circiter septingentesimo septuagesimo. Is brevi Neapoli debitum solvit naturae, filiumque aetate adhuc tenerum reliquit, cui nomen erat Marianus Nicolaus. Hic patre orbatus privignum nactus est Caietanum Montefuscum hominem probissimum, qui eum, ubi ad maturitatem pervenit, Laurae Galae honestae feminae nupsit. E Laura Marianus Nicolaus duos suscepit filios, quorum alium ad patris integrandam, ut fit, memoriam Franciscum nominavit, alterum vero Hyacinthum.

Manerae familia Neapolim translata.

II. Franciscus igitur, cuius vitam explicare aggredior, natus est Neapoli XIII. Kal. Sept. anno MDCCXCVIII. Vix patrem cognoscere didicerat, cum eum amisit. Marianus enim Nicolaus florenti adhuc aetate decessit, cum vix annos tres supra triginta numeraret. Fuit vir spectatae virtutis, ingenuus, liberalis, industrius. Franciscus, amisso patre, commissus cum fraterculo Hyacintho fuit curae Caietani Montefusci, qui, ut diximus, patris erat privignus. Hic pueros ut pater alter diligebat, ac

Francisci ortus ac studia puerilia

porro semper amore tenerrimo eos prosequi perrexit. Eius amori pueri respondebant, eumque sicut alterum parentem observantissime colebant. Franciscus ubi e pueris excessit, prima italarum, latinarumque litterarum elementa didicit a Grammatico, atque in iis addiscendis praecox adeo, et experrectum explicavit ingenium, ut iam inde ab ea aetatula Caietanus de suo Francisculo non minima coniiceret. Annos vix decem natus ad humaniores litteras degustandas progressus est, eumque Michael Ricciardius probatae virtutis, ac litteraturae vir illis erudivit. Postquam annos circiter quatuor ad humaniores litteras animum applicuerat, ad severiores philosophiae disciplinas gradum fecit, quas per id tempus Neapoli tradebat Franciscus Ferraiolius non mediocri cum iuventutis utilitate. Tum in litteris humanioribus, tum in philosophicis disciplinis Franciscus suum ingenium, suamque diligentiam ita Praeceptoribus probavit, ut illi multam de eo facerent rei litterariae expectationem. Si in quotidianis acroasibus salebrosum quid occurrisset, atque intellectu difficile, Francisco committebatur, ut illud suis verbis repeteret. Saepissime namque accidit, ut quod ab magistri ore acceptum vix discipuli tenent, id a condiscipulo auditum facile intelligant. Vix enim apprehenditur difficultas in iis, quae ab socio intellecta fuisse cognoscuntur. Francisci ingenium speculo assimilari poterat purissimo, quod quasvis rerum imagines ab magistris in schola depictas verissime referret. Sed quod miraberis, nullus pro hac adolescentuli praestantia in condiscipulorum animis invidiae erat locus. Neque id ex eo tantum, quod maxima ingenia invidiam omnem vincere soleant,

sed quod ipse facili quadam comitato, atque urbana animi demissione quasi parem se condiscipulis facere conaretur. Maxima vero in eo erat diligentia studiique amor. Quicquid otii vel ab auditionibus obeundis, vel ab aliis negotiolis nancisceretur, id studiis totum dabat: in bibliothecas publicas se abdebat frequenter, ibique ad multam diem morabatur legens atque in adversariola referens, quae digna notatione animadverteret. In bibliothecis frequentandis facile sibi doctorum hominum consuetudinem procurabat, quam iam inde ab eo tempore sollerter affectabat: neque id difficile illi unquam fuit pro ingenio, quo pollebat imprimis comi, atque urbano.

III. Sed non ex iis erat Franciscus, qui studiis perdite adeo deduntur, ut quae pietatis christianae sunt fere illis posthabere videantur. Immo quae de Francisci pietate per eam aetatem narrantur, vulgaria non sunt. Utque a puero rem repetam, is animum ad pietatem natura comparatum prae se gestare videbatur. Quidquid enim religionem saperet, puer cupidissime sectabatur: christianae disciplinae elementa a nutricula audita ita animo imbiberat, ut saepe ea multa cum audientium voluptate recitaret. Eius vero animus iam inde ab ea aetate commiseratione hominum, qui egestate premerentur, constringebatur vehementissime. Perhibent eum nondum decennem saepe se suis exuisse vestibus, easque seminudis pauperculis e fenestra proiecisse. Robustior factus in Sodalitium fuit cooptatus, quod in aula maxima aedium archiepiscopalium ab ingenuis quibusve adolescentulis frequentabatur, regebaturque a Gabriele Vottio Sacerdote de religiosa adolescentium institutione be-

Qui puer esset in pietatem animatus.

ne merito. Hic primus Francisci conscientiae arcana habuit manifesta, eiusque animum ita ad pietatem informavit, ut is brevi profana fastidiens devovere se ministerio Ecclesiae desideraverit. Quare de clericali habitu induendo cogitavit. Quod ubi suis institutoribus manifestavit, hi non probarunt modo, sed et eum ad tenendum propositum vehementer excitarunt. Tenuit, dumque clericale tyrocinium posuit, sociis exemplo fuit eximio modestiae ac probitatis.

Eius clericalis educatio.

IV. Est Neapoli apud Congregationem ab S. Vincentio a Paulo institutam pia quaedam clericorum iuvenum sodalitas, quam illi festa quaque die non sine multo animarum emolumento solent celebrare. Ibi enim in plerisque religiosarum virtutum actibus se pie exercent, institutionemque dignitati, ad quam adspirant, accommodam suscipiunt. Namque et quo se gerere modo debeant, ut clericum decet, edocentur, et sacros ritus, quibus posthac erunt operaturi, apprime discunt. Hanc clericalem sodalitatem Franciscus frequentare coepit, et pro assiduitate, ac diligentia, qua officia sibi commissa obibat, moderatoribus erat carissimus. Eum diligebat prae ceteris Petrus Aloisius Braida homo in discernenda clericorum iuvenum probitate perspicax. Hic quantum Francisci animus ad virtutem omnem imbuendam esset factus brevi cognovit. Quare eum virtutibus omnibus, quae clericum honestant, peculiari studio sumpsit instituendum; et Franciscus tanti magistri curis ita respondit, ut priusquam triennii tyrocinium absolveret, sacro tonderi ritu meruerit, ac minoribus ordinibus initiari. Ex hoc autem tempore templum, cuius ministerio fuit addictus, diligenti assiduitate frequenta-

bat, quique illud procurabant, de Francisci sedulitate testificabantur honorificentissime. Sed ad studia redeamus.

Angeli Ant. Scottii in Maneram benevolentia.

V. In Sodalitate, quam ad archiepiscopales aedes Franciscus frequentaverat, benevolentiam amplissimi, ac doctissimi viri Angeli Antonii Scottii sibi conciliaverat, qui, quamdiu vixit, lumen illustre Neapolitanae Ecclesiae fuit. De quo quoniam heic incidit sermo, sinat humanus lector, ut hoc grati animi debitum solvam tanti viri memoriae, qui me et dilexit tenerrime, et fere litteris instituit. Is ille Scottius est, quo nemo de studiosa iuventute neapolitana melius hac aetate meritus dici potest. Pater iuventutis habebatur et erat. Nullus studiosorum iuvenum coetus extabat, quem sua incredibili sollertia, vigilantia, industria non diligentissime procuraret (1). Creatus Archiepiscopus Thessalonicensis nihil remisit pristinae sollicitudinis; im-

(1) Bene clarissimus Nicolaus Lucignanus in epistola nuncupatoria selectorum carminum libello praefixa, quem vulgavit Neapoli typis Tramaterianis an. MDCCCXXXII ipsum sic alloquitur Scottium. « Ego, ut verum fatear, nihil aliud in te suspicio nisi amorem istum tuum in iuvenes, quo eos sponte tua, nulloque sollicitante mortalium, domi, forisque ubicumque locorum es, omni genere blandimentorum quaeris, amplecteris, tueris, ornas; tum aequalibus, maioribus, principibus viris commendas; denique, quod caput est, pietatem ac mores adeo in eorum animis non excitas tantum, ac nutris, sed incendis etiam ac foves, ut quod tuum est spectatum iam satis in urbe, et alibi sanctissimae Religionis studium, hunc unum vehementissimi huiusce amoris tui, et omnium laborum tuorum finem tibi proposueris, cetera istuc omnia, tamquam ad nobilissimam metam contineas. Haec haec, inquam, animi tui singularis, et propria dos est: ceteros virtutum ornatus cum nonnullis aliis communes habes; ut haud immerito videri possit te a D. O. M. ad haec corruptissima tempora reservatum, quo labentem per foeda omnia iuventutem inter saeculi nequitiem, ac deliramenta contineas, eamque exemplo, monitis, atque officiis tuis ad honestatem, ad litteras, ad pietatem, ad bonarum artium amorem, exercitationemque traducas ».

mo novam dignitatem non in sui honorem, sed in iuventutis commodum collatam sibi esse putabat. Qui iurisprudentiae, medicinae, musicae, aliisque studiis sive in Epheborum Collegiis, sive in privatis domiciliis animum applicabant, in eo uno communem nanciscebantur patrem si orbi, solatorem si aegri, opitulatorem si miseriis afflictati, defensorem si calumniis petiti. Satis id habeat lector, cum morti proximum saepe, me audiente, exclamasse, ex eo uno se non minimum angi, quod cui iuventutem sibi carissimam committeret, non suppeteret. Ita scilicet moriturus pater de tutore filiis instituendo providebat. Hunc igitur iuventutis studiosae patrem nactus est Franciscus aetate adhuc tenera. Scottius ubi Francisci ingenium pertentavit, cognovitque illud ad omnia litterarum, disciplinarumque studia factum, continuo curavit, ut eum Ioanni Andresio ingeniosorum adolescentium patrono sisteret.

Manera ab Scottio sislitur Andresio.

Quanti haberetur Andresius.

VI. Erat Andresius inter Iesuitas, qui, revocata Societate Iesu, Neapolim petierant sane doctissimus, ac late adeo fama operum suorum erat vulgata, ut principum quoque virorum existimationem sibi conciliasset. Cum iterum autem soluta Neapoli foret Societas a Iosepho Bonaparte, qui tum regnum occupabat, docti plerique cives ne tantum virum abire sinerent, studuere, ut is Herculanensis Academiae crearetur a secretis, eidemque licet homini externo praefectura bibliothecae Borbonicae praeter consuetudinem deferretur (1). Vir erat Andresius iuventutis studiosae stimulator egre-

(1) Adi commentarium ab Angelo Antonio Scottio scriptum, cui titulus: *Elogio storico del p. Giovanni Andres della Compagnia di Gesù*. Napoli. Stamperia di Giovanni de Bonis 1817.

gius. Perspeculabatur homo acutissimus qui iuvenes ad litteras comparati natura essent, eosque in illis singulari quadam disciplina excolendos suscipiebat (1). Adhuc dum in vivis agunt plerique illustres, ac de litteris viri optime meriti, qui Andresio multa quae sciunt, accepta referunt.

Andresius Manetae studiis magnopere favet.

VII. Huic ergo Franciscus a Scottio creditus: utque is iam inde a principio quae de iuvene spes fieri posset, facile dignosceret, Scottius Francisci lucubrationem ei ostendit sane limatam, proque aetate eruditam. Placuit Andresio: adolescentulum tentavit: eum italicis latinisque litteris persensit eruditum satis, graecis non admodum. Quare his sedulo coepit illum instituere, ac brevi ita erudiit, ut puros graecitatis auctores adire per se ac scrutari facile posset. Atque ad id temporis spectant quaedam quae in suis scriptis inveni commentariola in Homerum, Aristophanem, Demosthenemque adornata. Neque his Andresius fuit contentus. Videbat enim adolescentulum ad omne genus eruditionis maxime docilem. Voluit et hispanicam linguam illum edocere, quam Franciscus deinceps ita calluit, ut ea in sermonibus facillime uteretur. Gallicum quoque per id tempus didicit idioma, potuitque nobiliores litteraturae gallicae fontes per semet cognoscere. Quare Franciscus nondum excesserat ex ephebis, cum et graece, et latine, et hispane, et gallice tantum sciret, quantum litterato homini necessarium putares. Hac sollerti adolescentis diligentia ita fuit Andresius captus, ut eum prae aliis alumnis benevolentius complecti coeperit. Quam ob rem illum ne diem quidem unum a

(1) Confer commentarii nuper memorati pag. 40 et 41.

se discedere patiebatur, atque eo usque Andresii benevolentia erga Franciscum devenit, ut secum tandem illum convivere voluerit, quo assidua consuetudine eius animum omni doctrinarum genere facilius imbueret. Expectationi respondebat Franciscus: in dies eruditior evadebat: apte compositeque, ubi ferebat occasio, de variis litteraturae capitibus loquebatur. Quare Andresius, qui a plurimis illius aetatis viris doctissimis adibatur, atque ad omnes fere academicos litterarum coetus arcessebatur, in primisque collocabatur subselliis, diu non dubitavit secum et Franciscum quo iret ducere, eumque amplissimis urbis viris cognoscendum praeferre.

Rosinius Manerae ingenium excitat.

VIII. Pro harum itionum litterariarum occasione Maneram cognovit Carolus Maria Rosinius Episcopus Puteolanus, qui litteraturae neapolitanae columen sub huius seculi initium merito fuisse existimatur. Hic suum Seminarium graecae, ac latinae sapientiae fecerat scholam. Illuc enim accitis undique doctis institutoribus clericalem iuventutem bonis artibus omnibus erudiendam curabat. Ut autem acrius ad studia exstimularentur adolescentes, solebat inter annum arcessere ex urbe principe Puteolos quotquot litteratos posset viros sui familiares, eisque in coetu academico audiendas dare lucubrationes, quas Seminarii alumni affabre elaborassent (1). Andresius vocabatur in primis: Andresium comitabatur Manera. Rosinius, qui in iuvenibus tentandis, et cognoscendis erat acutissimus,

(1) Consule, si vacat, elegantem commentarium, quem de vita et rebus gestis Caroli Mariae Rosinii Episcopi Puteolani latine scripsit Nicolaus Lucignanus Eloquentiae Professor in Neapolitano Athenaeo, et publicavit typis Porcellianis Neapoli an. MDCCCXXXVI.

praeclarum Manerae ingenium brevi perspexit. Quare ei animum dare primum coepit, ac dein ipsum quoque hortari, ut in iis, quos cogebat academicos conventus, suarum quoque lucubrationum faceret copiam; quod alteri nunquam concessum voluisse Rosinium certo scio (1).

Exercitationes litterariae.

IX. Neque minus ornate adolescentulus oratione scribebat prorsa, quam versa. Cuius rei licet multa mihi sint argumenta, satis tamen superque erit lectori quod subiiciam. Solebat Andresius ad excitandos iuvenum studiosorum animos vocare eos identidem in litterarias concertationes, eisque docta themata proponere, in quae latinas orationes conscriberent; quique victor arbitrio iudicum evasisset, is procul dubio praemium in medio ab Andresio positum sibi ferebat. Manera pro harum concertationum occasione duas elucubravit orationes accuratas quidem et expolitas. Nactus tamen est

(1) Pleraque adhuc in plagulis iuvenilia reperiuntur carmina, quae latinam venustatem bene sapiunt. Solebat enim adolescens pro occasionibus quae darentur, multa conscribere. Non indignae sunt memoratu quaedam elegiae, epigrammata, aliaque id genus poematia, quae in obitu vel amicorum, vel amplissimorum civium pepigit. Neque rem tibi ingratam facturum me esse existimo, si unum heic saltem referam epigramma, quod in funere Nicolai Vallettae clarissimi Iurisconsulti Neapolitani adolescentulus composuit.

Dum tenebris adoperta caput, gressuque citato
Mors est Vallettae visa subire domum,
Parce, ait Astraea, heu! miserae mihi parce precanti,
Ne mea tot pereant, illo abeunte, bona.
At Pietas: Tarda quid cessas cuspide, dixit,
Aethereis meritum sedibus inserere?
Tunc Mors suspenso paullisper restitit ictu,
Dein placido hos ridens edidit ore sonos:
Ultima si iusti tetigit fastigia, vivens
Nil ultra Astraeae quod dare possit, habet.
Ergo habeat meritos moriens Pietatis honores;
Sic referet fructus utraque Diva suos.

aemulum Nicolaum Lucignanum, qui tum Seminarii Puteolani erat alumnus, litterisque latinis magnopere delectabatur, quique in praesentia multa cum laude, ac doctorum hominum satisfactione eloquentiam latinam in regio Athenaeo neapolitano profitetur. Litterati arbitri ab Andresio fuere delecti, qui competitorum orationibus acri iudicio examinatis, utri praemium adiudicandum foret, plane definirent. Hi licet naris emunctissimae homines, lucubrationibus tamen diu multumque versatis, utri primas tribuerent, definire certo nequiverunt. Si enim una perspicua magis, altera nervosior: si illa sententiis gravior, haec latinitate purgatior: si alia ad artis praecepta accuratius elaborata, altera nativa simplicitate candidior. Quare ne alteruter praemio privaretur, aequissimi iudices utrique illud decrevere. Andresio placuit arbitrium, praemiumque lubens duplicavit. Ut inaequalis virtus aemulationem, ita aequalis parit amicitiam. Quare ex eo tempore Manera et Lucignanus iucundo sese vinculo obstrinxerunt amicitiae, quam elegantissimis litteris latinis mutuo ad se datis docte fovebant; atque haec litterarum consuetudo eo usque perduravit, donec Manera Societati Iesu nomen dederit: amicitia tamen nunquam fuit intermissa. Potuit etiam per id tempus Manera cum plerisque aliis viris doctissimis, quorum nomina sunt pervulgata, amicitiam iungere. Utque aliquos appellem, usus familiariter est et Cataldo Iannellio bibliothecae Borbonicae Neapoli Praefecto, et Francisco Iavarono, qui in praesentia Asculanam, et Ceriniolensem Ecclesiam in Apulia dum episcopali prudentia regit, doctrina ac morum sanctitate illustrat, et Nicolao Taccono, et Iosepho Nicolai fi-

lio (1), et Augustino Gervasio, et Salvatore Cyrillo, et Iosepho Genovesio, et Ioanne Rossio, aliisque multis Andresianis vel amicis vel alumnis de publica re litteraria optime meritis.

X. Dum haec Franciscus apud Andresium ageret, huic oculi sive per aetatem, quae iam in senium inclinabat, sive per nimiam facultatis visibilis defatigationem, subita sunt suffusione corrupti, et per admotas chirurgi ocularii manus collectus inter tunicas humor non modo non disiectus, sed concretus adeo, ut visus illis prorsus impeditus, immo et ademptus fuerit. Nihil homini litterato molestius poterat accidere. Molestiam tamen leniebat Franciscus. Anagnostae enim scribaeque vices supplebat, quod licet fastidiosum esset, cum ad multas horas prolataretur quotidie, ex eo tamen Francisco iucundissimum obtingebat, quod hoc officio gratum in institutorem animum prae se ferendi ipsi daretur occasio locupletissima. Multam in eo collocaverat Andresius fiduciam; cumque ex omnibus Italiae, externarumque regionum partibus litteras acciperet creberrimas, ei committebat rescribendi munus; quod Franciscus ea aetate potuit tali prudentia, ac rerum tractandarum peritia perficere, ut satis omnino faceret Andresio. Quod mirabitur certe qui noverit, quantum docti senes fatigare iuvenes soleant illa morositate, quam in re praesertim litteraria facile peccant.

Gratus Manerae animus in Andresium.

XI. Sed iam Andresius pridem de abdicanda bibliothecae Borbonicae praefectura cogitaverat, ut

Andresius se abdicat praefectura bibliothecae.

(1) Hic suam Manerae testificaturus amicitiam, quam inde usque ab adolescentia cum eo coniunxerat, paucis abhinc annis comptissimos elegos latinos illius nomini voluit inscriptos, quos in obitu communis amici Angeli Antonii Scottii Neapoli vulgavit.

se in Societatem reciperet, quam Romae Pius VII. Pontifex de Societate Iesu benemerentissimus restituerat (1). Quare in facta luminum iactura honestissimam petendae vacationis excusationem nactus, eam tandem a Rege obtinuit, ac munere abdicato Romam iam cogitabat. Franciscus, qui quatuor perpetuos annos cum Andresio familiarissime consueverat, non potuerat ob tantarum hominis virtutum contemplationem, quin multam animo conciperet existimationem, benevolentiamque viri, ac per eum illius, cui Andresius accepta omnia referebat, Societatis. Quare quod antehac corde dudum presserat propositum, illud Andresio iam Romam concessuro tandem manifestavit: discupere scilicet se reviviscenti Societati nomen dare, atque adeo eum rogare, obsecrareque, ut Romam deduceret, ac Societatis Moderatoribus sisteret. Andresius, qui Manerae ingenium et probitatem habebat compertissimam, diu non dubitavit, quin probaret propositum. Quare Novembri mense anni MDCCCXVI eum Romam secum duxit, ubi Ioannes Perellius supremi Moderatoris in Italia Vicarius Franciscum complexus est perquam libenter, ac primis Provinciae Italicae tyronibus adnumeravit.

Manera Soc. Iesu nomen dat.

Eius tyrocinium.

XII. Qui cum Iesuita fere ut alter Iesuita convixerat, ab eoque multa virtutum omnium ac praesertim christianae tolerantiae acceperat documenta, is tyrocinium religiosae vitae ponebat quasi veteranus. Diligenti nostrarum legum custodia se Moderatoribus commendabat: singulari modestia sociis exemplo praeibat: integritate morum sibi be-

(1) Adi sis pag. 43 commentarii de Andresii vita, quem antea citavimus.

nevolentiam conciliabat. De se autem demississime, ac subiectissime sentiebat. Licet antehac multum diuque versatus in litterarum disciplinarumque severiorum ac praesertim in eruditionis studiis fuisset, de his ne verbum quidem unquam: se posthabere omnibus, nulli praeferre studebat. Paucis id unum satis habeat lector, eum ita se per id tempus Moderatoribus probasse, ut exacto primo tyrocinii anno ii non dubitaverint eum Interamnam mittere Grammaticam docturum. Quod confirmatae virtutis indicium est. Inconsulte enim ac temere pugnae committeretur tyro, qui virtute veteranum non aequare putaretur.

XIII. Interamnae igitur in Umbria Grammaticam multa cum laude docuit. Licet is esset Franciscus, qui in schola moderanda vix alieno egeret regimine, nunquam suum tamen facere ingenium optabat, atque eius praecepta, qui scholis erat praefectus, exequebatur ad scrupulum, et quidquid e ratione nostrorum studiorum foret servabat accuratissime. Perfecto Interamnae tyrocinii biennio vota religiosae vitae incredibili cum pietatis sensu nuncupavit, atque ad humaniores litteras ibidem loci edocendas gradum fecit. Quanta sedulitate, ac diligentia qeua novi magisterii erant accuraret, discipulorum tum lin itteris tum in pietate factus progressus brevi ostendit. Eos in severae litteraturae doctrinis, quibus et ipse a parvo fuerat institutus, erudire studebat. Quare graecos latinosque fontes frequenter pro re nata non indicare mòdo, sed et verbis amplificare, et laudibus magnificare solebat, ut ex ea, qnam illorum is faciebat existimationem, quam et ipsi de iis facere deberent, mature condiscerent. Argumenta

Eius magisterium apud Interamnates.

quoque lucubrationum, quae in scholis ad styli exercitationem proponi solent, e graecis latinisque fontibus hauriebat. Quod quantas utilitates compendifaciat, prudentes qui sunt Magistri facile vident. Graecis tamen latinisque litteris non ita perdite erat addictus, ut per se non sentiret pari italicas studio hac praesertim aetate esse colendas. Immo ad has scite adsequendas omni semper diligentia incubuit, et graecitate latinitateque ut solido patriae litteraturae fundamento utebatur. Verum prudens magister videbat in erudienda iuventute parcendum plusculum esse principio patriis, quam graecis latinisve litteris, ne, uti fit, animi adolescentulorum amore veluti innato in patriam linguam ita abripiantur, ut, gustata semel patrii sermonis dulcedine, a veteribus posthac fontibus prorsus abhorreant. Nihilo tamen secius ut disciouli e matris pulchritudine, quae filiae foret venustas, dignoscerent, selectas identidem e latina, patriaque lingua veneres ita simul conferebat, ut utra praecelleret, ii difficile discernerent, utramque tamen studiosius amarent. In praelectionibus autem, quoad poterat, accuratissime loquebatur; multum enim exinde fructum discipulos sensim percepturos dicebat. Si qua vero vel de graecis, vel de latinis vertenda, ea exquisitis reddebat locutionibus. Adhuc Sallustiana quaedam supersunt in suis scriptis fragmenta italice reddita, in quibus utrum laboriosa diligentia, quam summa linguae vernaculae peritia sit commendatior, fortasse non arbitraberis.

Quo studio discipulorum pietatem foveret.

XIV. Qui tantam in instituenda litteris iuventute operam ponebat, quantam in ea bonis moribus informanda collocasse oportuit, ii facile coniicient,

qui sciunt quid sit sedere in ludo a mane ad noctem, ibique macescere, ac saepe etiam tabescere, non ut ab hominibus quaestuosum exigatur minerval, sed ut futura a Deo expectetur merces. Hi enim norunt, quantae fatuitatis foret hac una mercedis spe litteras tam laboriose edocere, quin simul omnes intenderentur nervi, ut discipuli ad virtutis amorem inflammarentur. Quare Franciscus nihil intentatum relinquebat, quo discipulos bonos, probos, bene moratos institueret. Fatigarem lectores, si omnes, quibus ingeniose utebatur ad fovendam in illorum animis pietatem, industrias numerare heic vellem. Unam tamen, quam grandior factus iunioribus Societatis nostrae magistris commendare solitabat, non possum ut omittam. In explanandis Auctorum operibus, ut fit in scholis, observabat sollertissime e quibus sententiis commodiorem posset ansam arripere, qua ex iis aliquid traduceret ad mores. Hanc autem pro sua industria facile nactus sensim ad pietatem versabat sermonem, atque accomodatione adeo spontanea inventas sententiolas moribus aptabat, ut profani auctores quasi christiane locuti esse viderentur. Si quis autem discipulorum gravem de suis moribus suspicionem iniiceret, idque, ut facile erat, ei suboleret, omnia faciebat, ut illum ad saniora consilia reduceret. Quod pro sua insigni facilitate nunquam non obtinuit. Brevi id vere dici potest, vix fuisse quod in eius ludo reprehenderes. Neque id, ut opinor, mirandum. Ubi enim animos adolescentium studia occupant, vix quas sectentur nugas inveniunt, inventaeque vix sapiunt. Praesertim cum Ludimagister iis polleat dotibus, quibus discipulorum observantiam, et existimationem, et benevo-

lentiam sibi conciliet. Quod quidem abunde praestabat Franciscus. Urbanus enim erat et cum dignitate gravis : nullus in eius vultu rigor, nulla frontis prae severitudine contractio, nulla in eius gestu rusticitas, nulla in verbis asperitas. Neminem vel hilarius accipiebat, vel familiarius tractabat. Si cui intensiorem suae benevolentiae partem tribuere videretur, is sine dubio pietatis ac litterarum studiosior erat. Quod ceteros discipulos ad aemulationem virtutis stimulabat acerrime. Cum enim hi praeceptoris amore sunt capti, nihil non faciunt, ut eius voluntati obsecundent. Hisce benevolentiae habenis Franciscus scholam biennio gubernavit, neque ut eas umquam cohiberet, necessum habuit. Si quando enim quid fieret pueriliter, satis erat superque, ut is sibi id vix placere manifestaret. Quare hac facillima agendi ratione, quae humano animo est accommodatissima, iuvenum Interamnatium ita sibi obstrinxit voluntates, ut hi nuntio de proximo Francisci discessu accepto vix lacrymas tenere potuerint.

Eius in consanguineos amor.

XV. Cum post triennium religiosae vitae ab Manera in Societate transactae amplius nihil de eius in consanguineos, affinesque amore legeris, fortasse existimasti iam ipsnm memoriam illorum ferme amisisse. Immo calculum forte tuum iis criminosis adiecisti blateronibus, qui inter ceteras, quas in Societatem nostram impingunt calumnias, et illam non extremo habent loco, qua dictitant, Iesuitas moribus suis prope ferinis sensum naturae omnem, qnod ad consanguineos attinet, obtundere, et quasi extinguere solere. Sed qnantum huinscemodi susurrones fallantnr, vel uno ex Manera possem commonstrare. Ad trecentas numeran-

tur litterae, quas per vitae religiosae curriculum ad consanguineos, affines, agnatosque misit, quibus modo eos adversa perculsos fortuna blandissime solatur (1), modo iis de rebus prospere suc-

(1) Non possum committere, ut praeteream quoddam epistolae fragmentum ex Interamna scriptae, in quo Manera consolari nititur privignum patris sui Caietanum Montefuscum, de quo diximus initio, adverso fortunae casu ictum —

« Per quanta forza e resistenza abbia fatto a me stesso nella lettura della vostra, la viva esposizione che mi fate degli oggetti che tanto recano di afflizione all'angustiato vostro spirito accompagnata dalle tenere voci del vostro affetto, mi ha altamente commosso sin al fondo del mio cuore, e non ho potuto fare a meno di non sentirmelo quasi penetrato da tanti acutissimi strali, quante furono le espressioni del vostro affanno. Sì, mio caro D. Gaetano, quantunque avessi di acciaio il petto, e rinchiudessi nel seno un cuor di diamante, quantunque un sangue di tigre, e di belva più inumana mi scorresse per le vene, pure non potrei rimanermi insensibile alla vista del giustissimo cordoglio che vi opprime. E come poi sarà egli possibile che vi faccia concepire, o che vi presenti una giusta immagine dei sentimenti di compassione e di amarezza, di cui è ricolmo il mio petto, io che tanto sviscerataménte vi amo, che tanto dolce affetto serbo per voi? Ah! no, mio caro D. Gaetano: voi stesso che ben mi conoscete, voi che ben sapete quanto grande sia la riconoscenza, e la tenerezza, che nutro verso di una persona, a cui il titolo di padre non basta, ed alle cui benefiche ed amorose mani debitore mi riconosco per così dire della stessa mia vita, e di quella ineffabile felicità, di cui ora gioisco, potete colla vostra mente assai meglio di quel che io far mi possa co' deboli miei accenti formarvi una viva idea della mia afflizione, e della pena che provo pe' vostri affanni. A me basta solo di rammentarvi come veraci testimoni delle mie assertive le calde lacrime, che spontaneamente sgorgandomi dalle pupille inaffiarono forse più volte i vostri caratteri. Il vedervi defraudato del frutto dei vostri sudori e sì malamente ricompensato de' gravissimi stenti, che per più mesi soffriste mi stringe duramente lo spirito, e mi fa entrare a parte del vostro dispiacere: ma quel che mette il colmo al mio dolore, e che vivamente l'anima mi trafigge si è il quadro compassionevole che mi dipingele innanzi agli sguardi dello stato di M. Rosa, della debolezza estrema della sua mente, e delle tristi vicende a cui si trova soggetta a mio riguardo, come anche la lunga, e penosa infermità che da tanto tempo sta tolerando la mia cara ed amata D. Francesca, la quale ben m'immagino quanto sia sensibile a siffatte sventure. — Ma e che vi fo io mai, che invece di rattemperare il vostro cordoglio seguo i trasporti del mio? come debbo darvi conforto, se

cedentibus gratulatur, modo quae ipse gerat, candide exponit, aliaque id genus, quae heic foret

mostro d'abbisognarne io medesimo? . . . Ma che; questo stesso appunto può dar peso ai miei detti, e rendere più efficace il conforto con cui mi accingo di consolarvi. Perciocchè chi si appropria coll' animo, ed entra a parte delle sciagure di un altro, parla certamente per impulso di benevolenza e di zelo; e chi parla animato da tali motivi merita tutta la fede, e dee riputarsi candido, sincero, e verace nelle sue espressioni. Ecco dunque, dolcissimo mio D. Gaetano, quel che mi pone sulle labbra il cuore, e quel che io rozzamente so suggerirvi, spinto dal desiderio di recar qualche sollievo all'animo vostro desolato, ed afflitto. Se non avessimo lo scudo della Fede, che tanti sostegni ci somministra contro i colpi delle umane avversità, prenderei a confortarvi colle massime della retta filosofia; ma poichè per divina misericordia la bella sorte abbiamo di riposare in grembo della Santa Religione, io vi rammento semplicemente uno dei principali motivi, che deve animare il nostro coraggio, e non lasciarci abbattere dalle disgrazie, e dai mali. Sollevate per poco, ed ergete la mente, e il cuore a quel Supremo Benefattore, a quel Dio pietoso, che si compiace cotanto del dolce titolo di nostro Padre amorosissimo. Rammentatevi, sì rammentatevi che avete per Padre un Dio, che vi ama con viscere d'infinita misericordia, che vi tien custodito nelle pupille degli occhi suoi, che scritto vi porta sull'istesso suo Cuore, un Dio il cui affetto verso di voi vince di gran lunga e sorpassa l' amore di tutte insieme le più tenere ed amanti genitrici dell' Universo, un Dio, che veglia continuamente in vostra difesa, che vi conserva colla più special protezione, e che non solo desidera ardentemente, ma anzi vuole efficacemente, e si prende tutta la premura, e l' interesse di rendervi appieno felice. Oh! se potessimo per poco penetrar co' nostri sguardi in quel Cuore divino! come avvampar lo vedremmo di accese fiamme del più puro amore, della più fervida carità verso ciascun di noi in particolare! Oh! se potessimo giustamente misurar la dolcezza del suo affetto! di quai sentimenti inebbriato non sentiremmo il nostro spirito! Oh! se potessimo veramente conoscere la provvidenza specialissima, che su di noi esercita, da qual conforto non saremmo animati in tutti i nostri travagli! Sì mio caro D. Gaetano, io vel ripeto, l' Onnipotente Iddio è il nostro Padre, egli è il miglior di tutti i Padri: che dunque da lui sperar non dobbiamo? sarà egli possibile che manchi di tenerezza verso di noi? potremo forse temere di abbandonarci ciecamente nella sua condotta, di pienamente uniformarci ai suoi voleri? Ah! no. Riposiamo pure tranquilli e contenti nelle paterne sue braccia, e stiamo pur certi che egli in esse affettuosamente ci porta e sostiene. È vero che lo stato di afflizione, e di cordoglio, in cui voi vi trovate immerso, mi fa veramente compassione: è vero che il vostro spi-

supervacaneum numerare. Discuperem tamen, ut harum litterarum delectus fieret aliquis, atque in vulgus mitteretur, ut quo in consanguineos animo

rito geme oppresso sotto il duro peso di una non picciola calamità. Ma lungi dal disanimarvi ; lungi dallo scemarsi la vostra fiducia in Dio ; lungi dal supporre, che questi sieno effetti del suo sdegno , ah ! vi risovvenga , che contrassegni essi sono i più patenti e sensibili di sua tenerezza. Noi meschini, ed infelici mortali offuscati dalle tenebre dell' ignoranza e dell' errore non giugniamo colle corte vedute del nostro cieco intendimento a ravvisar le mire sapientissime, o le ammirabili disposizioni, con cui la provvidenza divina cerca di condurci per duri, e disastrosi sentieri al consegnimento dell' unico, vero, e sommo bene, e della compiuta e perfetta nostra felicità : e però invece di adorare gli arcani suoi disegni, invece di chinaro ossequiosi la fronte a' suoi voleri, osiamo talvolta nel colmo delle sventure sollevarci con incredibile temerità contro di lui, o lamentarci baldanzosamente dello sue sapientissime disposizioni. Ah! no mio caro D. Gaetano, non sia così di voi. Persuadetevi fermamente, cho quel Dio dal cui cenno dipende tutto, e senza il cui comando non si stacca un capello dal nostro capo, nè cade al suolo il più picciolo augelletto dell' aria, egli è che tutto ordina pel nostro bene, e se apparisce farci del male, ed abbatterci nelle sciaguro, non è che per ricolmarci dello grazie più distinte, o dei più segnalati favori. Se sembra talora che ponga in obblio i nostri temporali interessi, non è che per procurarci più sicuramente gli eterni. Se ci percuote, ed affligge, non è cho per destarci da quel letargo in cui spesso giaciamo sepolti, da quella dimenticanza in cui viviamo della sua gloria, per richiamarci al suo seno e per istimolarci a consacrare a lui gli affetti tutti del nostro cuore. No: da un cuore, e da una mano di Padre non possono uscir colpi, che non sieno salutari. Baciate dunque, mio dolce D. Gaetano, sì baciate pure affettuosamente mille, e mille volte la destra amorosa del vostro Dio, che scarica su di voi colpi cotanto benefici, bagnatela di calde lacrime di gratitudine e di riconoscenza, e porgete i più vivi ringraziamenti, che da voi si possano a questo tenero Padre, che si degna di visitarvi collo tribolazioni, ed angustie. E non crediate poi che egli non abbia a consolarvi, e che dopo l'orrido buio di procellosa tempesta non abbiano a calmarsi i flutti, o a splender di nuovo fulgido il sole, e sereno il cielo. Egli da voi invocato presterà soccorso a' vostri bisogni, stenderà la sua mano pietosa in vostro aiuto, tergerà il pianto dagli occhi vostri, raddolcirà le angosce che v'inondano lo spirito, e v'infonderà nell' animo quello spirito di fortezza, e di costanza cristiana, cho è lo scudo il più atto a ribattere i colpi, con cui le umane avversità cercano di soverchiarci ».

foret Manera facile perspici posset. Neque litterarum tantum commercio fuit contentus. Is enim, quod sciam, vel cum difficile ipsi esset, consanguineos consilio, opera, commendationibus iuvare non dubitabat. Neque aliter gerere se is cum consaguineis poterat, qui bene intellexerat, quantum iis homo natura debeat, et quantum D. O. M. velit iis ab homine deberi. Sed ad rem revertamur.

Romae Theologicis studiis navat operam.

XVI. Ex Interamna iussu Vincentii Pavanii Italicae Provinciae Praefecti Romam venit, ut heic theologicis disciplinis operaretur. Animo alacri, ac sacrarum disciplinarum cupidissimo Franciscus novum studiorum curriculum capessivit, in quo divinorum dogmatum explanatores sortitus est Iosephum Rittium, et Ioannem Rozavenum viros rei theologicae apprime peritos. Sacrarum litterarum interpretationem ab eruditissimo Michaële Dominico Zecchinellio accepit: eloquentiae vero christianae praecepta ab Francisco Finettio audiit oratore suorum temporum facile principe. Quantam sui ingenii expectationem faceret Franciscus in rerum divinarum studiis, brevi Praeceptores viderunt. Is enim erat in apprehendendo facilis, atque celer, in intelligendo acutus, in arguendo subtilis, in eloquendo perspicuus. Ex qua perspicuitate tanta accedebat argumentationibus lux, atque claritas, ut vel perspicaces mentis oculos perstringeret. Lenis tamen erat, et in disputando modestus: si adversarium gravi argumentationis pondere fere pressum videret, non triumphabat; neque unquam ipsi disputationis aestu animus ita ferbuit, ut verbum, quod minus moderationi conveniret, ei vel imprudenti excideret.

XVII. Dum studiis divinis operam sedulam navaret, si quid vacui a quotidianis occupationibus temporis nancisceretur, id libenter aliorum commodis dabat. Diebus vero festis urbanos carceres adibat, ibique charitati suae habenas remittebat. Nemo ignorat, quantum facinorosi homines in carceribus vincti fastidire plerumque soleant, quae Religionem sapiunt. Praeter enim illas quibus afflictantur corporum miserias, quasi nihil flere aliud sciunt, dum tamen facinoribus cooperti aliquando in lutulento omnium vitiorum coeno vivunt sepulti. Cum eiuscemodi frugi hominibus a corporibus levandis initium est sumendum, si quis gradus ad animas procurandas fieri velit. Id mature vidit Franciscus. Quare nihil praetermittebat, quo illorum miserias mitigaret. Quibus posset, libertatis veniam obtinebat. Aliis pecuniariam opem procurabat, aliis vestiariam. Tandem si quid non posset, mollissimorum verborum aspergine negantiam condiebat. Quae Francisci commiseratio illorum animos licet fastidiosos ita expugnabat, ut eos quo vellet converteret. Ubi Franciscus apparebat, post eum abeuntes turmatim vidisses fere omnes, qui in carceribus custodiebantur, ipsis Commentariensibus non exceptis. Immo aliquando eo usque multitudo confluentium ad concionem crevit, ut in laxiore oppidi platea sub dio dicendum ipsi esset. Hac hominum benevolentia Franciscus in rem Religionis utebatur bellissime. Liberius enim, ubi occasio id postularet, eos increpabat: confidentius vero eos hortabatur, ut apud Sacerdotem culpas expiarent, ac vitiis tandem desuefieri occiperent. Cumque vidisset omnia quae in carceribus vitia invalescere, ac patrari crimina solent, ea otio,

Inter haec homines in vinculis publicis custoditos in re Religionis exercet.

ac turpissimae socordiae esse tribuenda, vinctis enixissime commendare solebat, ut operae cuiquam diurnae aliquid temporis commodarent. Quod a benevolentibus facile obtinebat. Deus vero Francisci conatibus non minimum favebat. Ut enim alia multa omittam narrare, is haereticos plerosque homines in carceribus vinctos potuit assiduo studio et opera in eam tandem mentem inducere, qua αἵρεσιν eiurarent, atque ad Ecclesiae Catholicae sinum se reciperent. Inter haec sacris est initiatus ordinibus; idque ex eo etiam ipsi accidit iucundissimum, quod Sacerdotio insignitus fructum suorum laborum praecipuum per se percipere, et quasi recognoscere posset in excipiendis vinctorum hominum confessionibus, ad quos plures iam annos habuerat conciones. Cum primum ad aram fecit, tanta fuit interiori animae laetitia perfusus, ut posthac illud dicere Sacerdotibus recenter consecratis soleret, quod crediderit se illa die summum humanae felicitatis fastigium attigisse. Quam sane supernam animi laetitiam satis expressere lacrimae, quae vix sacrificare instituerat, cum ex oculis fluitabant.

Sacris initiatur ordinibus.

XVIII. Emenso sacrorum studiorum curriculo, Doctores qui Francisci sagacitatem quatuor continentes annos fuerant experti, e re esse sunt rati, quae existimationem Societati adhuc nuperae crearet, si eum publicae de universa re theologica disputationi committerent. Commiserunt, licet Franciscus honorem non minimum detrectaret pro sua animi indole, qua publicum conspectum non observabat sed verebatur. Quis fuerit disputationis exitus, ii certe meminerunt doctissimi viri, qui in frequenti conventu adfuerunt; quos inter eminebant duo illi Sacerdotes illustres Petrus Ostinius, et

De re universa theologica publice disputat.

Pius Bighius, qui in docta concertatione oppugnatorum partes gessere, et quorum alter posthac a Gregorio XVI. P. M. in Purpuratorum Patrum collegium fuit adlectus, alter autem a Pio IX Augusto feliciter regnante creatus Archiepiscopus Lystrae in infidelium partibus, ac praepositus in suimetipsius locum Abbas Vicarius Sublacensi quam vocant Commendae. Adhuc dum hi multa praedicant de perspicuo disputatoris ingenio, de eius in eloquendo facundia non minus diserta quam gravi, de amplissima in sacris omnibus disciplinis eruditione, deque varia multorum sermonum peritia, ex qua dignitatis plurimum atque ornamenti ad disputationem accedebat. Cum vero tantam sui spem in re theologica fecisset Franciscus, prudenter arbitrati sunt moderatores ei et alium concedere studii domestici annum, quo Theologiae, cuius iam tum designabatur Professor, operam navare longiorem posset, atque commodiorem. Quod in ea hominum operariorum caritate, qua tum Societas in Italia laborabat, quantum valeat, ut, quis haberetur Franciscus, dignoscamus, nemo non videt. Taurinum proficiscitur.

XIX. Tamen quem moderatores doctorem disciplinarum sacrarum iam designaverant, factum est, ut ineunte anno salutis dominicae MDCCCXXV alio eum abduceret occasio, cui fuit serviendum. Decessit per id tempus Augustae Taurinorum Iosephus Biamontius vir imprimis eruditus, eloquentiaeque italicae in Archigymnasio Professor. Ne iuvenes, qui ad regium Athenaeum accurrebant ex omnibus regni urbibus frequentissimi, diu doctore privarentur, prudens Archigymnasiarcha a supremo Societatis Praefecto postulavit, ut hominem

concederet, qui per illud interim spatium patriae eloquentiae acroases ad studiosam iuventutem haberet. Postulata fecit Aloisius Fortis, qui tum summum Societatis magistratum tenebat, et Franciscum tanto oneri portando destinavit. Roma igitur Taurinum profectus est Franciscus, cui quippe homini timido, ac de se nimis diffidenti si quod aliud publicum munus molestum accidebat, hoc certe molestissimum. Aegre enim sibi persuadebat, se, qui plures iam annos litterariae eruditioni nihil fere operae dedisset, posse e novi magisterii exercitatione laudis quippiam aut existimationis nedum adipisci sed sperare. Ad haec vulgata decessoris fama faciebat, ut de successore adhuc iuvene, nulliusque in Italia nominis praeiudicaretur. Dein Franciscus plus quam par foret criticorum invidiam formidabat, quod ea perspicax esset minimarum etiam labecularum speculatrix, atque in Iesuitam acutior. Quare timebat vehementissime, ne non satis expectationi faceret, quam sibi Taurinenses e Societatis homine promitterent. Timorem tamen vicit obedientiae studium, licet non ita ut labori non concederet plurimum, in quo perferendo, si de modestissimo homine non scriberem, eum naturae, ex qua tantum ingenium fuerat sortitus, fere ingratum dicerem. Re vera quasi omnia in labore reponebat, neque sibi fieri posse credebat, ut aliquid, quod non ante cogitasset exquisite, atque elaborasset diligenter, in medium proferret: dum tamen is ipse, si quando repentina id occasio exposceret, composite adeo atque ornate dicebat ex tempore, ut haud facile tibi persuasisses eum non recitare de scripto Sibi igitur in no-

vae palaestrae exercitatione ne momento quidem cessationis gratiam faciebat. Primis praesertim mensibus tanto in studia incubuit conatu, ut in mortalem inciderit morbum, quo ad multam anni partem implicitus fuit. Cum enim per noctem, ut is mihi narrabat, vix duas aut tres horas caput sellulae paxillis innixus obdormisceret, humoribus, qui inter dormiendum e pelle exsudant, facile ad guttur collapsis, factum est, ut pertinaci angina fauces brevi turgescerent, ac prope praecluderentur. Quo in morbo acutissimo Franciscus eo devenit discriminis, ut eucharistico viaticatus cibo iam esset e vita concessurus. At Deo tamen optimo libuit Maneram concedere precibus, quas fudit, et curis sane ingentibus, quas ad eius restituendam sanitatem adhibuit Ioannes Roothaanus, qui tum Collegio Provinciarum in Taurinis erat praefectus. Longus quidem forem, si quae quantaque Roothaanus fecerit, ut Manera convalesceret, heic exponerem. Unum tamen non tacebo, ut ex eo caetera disceas. Viderat Roothaanus Maneram melancholico identidem corripi humore, atque inde non minimam morbi partem in eum derivari. Quare ubi Franciscus bene se coepit habere, Roothaanus nulli parcens impensae ei concessit, ut animi recreandi gratia longum iter atque amoenissimum capesseret per Helvetiam. Cum autem ex hoc itinere multo Manerae melius esset factum, is ei solebat quotannis permittere, ut excursione aliqua animum iam studiorum laboribus fractum per autumnales ferias reficeret. Ex quibus annuis excursionibus quantum roboris ad Manerae valetudinem accederet, legendum profecto foret in ipsius eiusdem epistolis, quas ad consanguineos be-

In Taurinis morbo implicatur gravi.

ne multas misit (1). Sed ne a proposito plus quam par sit digrediamur.

(1) Rem faceret litteratis viris iucundissimam, iuvenibus autem perutilem qui hasce litteras publicandas susciperet. Multa enim complectuntur scitu dignissima, atque eo sunt stylo exaratae, ut vix sit, quod in eis desiderari possit. Et ne exaggerata me loqui autumes, volo eam heic saltem tibi epistolam sub oculos subiicere, qua lacus Lemani delicias perbelle, atque eleganter depingit.

Lago di Ginevra 9 Settembre 1828.

Carissimo mio D. Gaetano.

Mi sono levato questa mattina allo ore tre dopo la mezzanotte. Ho celebrata la S. Messa nella Chiesa principale della città di Thonon, in cui ho dimorato tre giorni — Alle ore quattro preceduto da un barcaiuolo che recavasi in dosso il mio fardello, accompagnato da un domestico dell'Arciprete Revel, In casa del quale ho alloggiato, al lume di una lanterna son disceso alla sponda di questo lago per uno stretto, e tortuoso viottolo, e mi sono imbarcato — Ora che i barcaiuoli han dato de' remi in acqua, e la barca collo aiuto altresì di una vela si è sospinta sulle onde, eccomi rivolto a voi, o carissimo D. Gaetano. Spero che in iscrivendo questa lettera a voi dal guscio di un battello tra le acque limpide, e turchine del graziosissimo Lemano, mi si sgombrerà dall'animo una tetra, e densa caligine di mal umore, che da ieri in quà mi ha fatto patire un penoso affanno. Questa specie di malattia, che da alcuni è derisa, da altri vituperata, e sol compatita da quei pochi, che la sperimentarono a pruova, mi sorprende di tempo in tempo. Il porvi alcun rimedio è stata una delle ragioni, per le quali mi fu conceduta dalla bontà paterna, e generosa de' Superiori di cominciare il viaggio fin qui felicemente continuato. Vorrei che mi foste ora al fianco, e che partecipaste dell' insolito diletto, che mi crea nell' animo lo spettacolo del Sole nascente contemplato dal mezzo di questo lago colla vista degli ameni dintorni del Chiablese, e della Svizzera, che dall' una parte, o dall'altra lo chiudono. Son certo che rimarreste meco rapito in estasi dolcissima, e che i vostri occhi irrequieti si volgerebbero, siccome ora fanno i miei qui, e là, a destra, e a manca, intorno, e sopra passando di nuove in nuove bellezze. Vedreste un cielo non del tutto sereno, ma sfumato di vapori, e sparso di leggieri nugoletti, la parte orientale rischiarata e pura colorirsi di giallo carico, e somigliare un altro lago di oro liquido con sotto le creste dei monti del Vallese ben disegnate colle prominenze, ed avvallamenti; quindi verso il mezzogiorno stendersi una larga fascia di nubi rugginose o scure, e perdersi dietro le alte montagne del Chiablese, ed al di quà di queste montagne medesime lungo la loro pendice ondeggiare un ampia striscia di nebbia color di cenere. Dal lato poi opposto sulla costiera di Vaud una falda lunga di nuvoli ben bruni ricoprire in lontananza le ci-

XX. Franciscus ut in suis praelectionibus multas compendifaceret utilitates, divinum Aligherii poëma sumpsit explanandum: idque eo lubentius facere se aiebat, quod omnis scientiae, eruditionis, ac linguae patriae thesaurum divinam Dantis co- Aligherianae acroases in Taurinis habitae.

me del Giura, e il Giorat, che è un ramo di quella catena di monti, vestirsi per dir così di una zona arcuata di vapori, color bianchiccio. Intanto avvicinandosi all'Orizzonte il Sole, e già presso a spuntare, vedreste il cielo di chiarissimo, e lucente azzurro, e in esso le sottili sfumature, o nugoletti di vapori rosseggianti con soavità: le onde poi del lago arricciate e tremanti indorarsi nell' atto che un fresco venticello, il quale vi spirerebbe in faccia, vi annunzierebbe la prossima comparsa del sole. Bello sarebbe in fine il vedere, come questo Re degli astri esce quasi dal suo talamo maestoso e splendente, e sparge per ogni dove torrenti di luce, e i lembi delle folte nuvole, che gli si accostano, tinge di rosso infocato, e nel bel mezzo del lago gitta una colonna lunga, e diritta di oro splendentissimo. Caro mio D. Gaetano, voi esultereste per lo giubilo di ritrovarvi meco osservatore di queste naturali bellezze, ed io vi accroscerei la gioia coll' additarvi ad una ad una le varie città, paesi o villaggi, che incoronano le sponde del lago, e che nella chiarezza del giorno fanno di se dimostrevole apparenza. Vi mostrerei fatta da noi lontanissima la città di Thonon capitale del Chiablese, con la piazza sporta in fuori, da cui a giudizio de' più accorti viaggiatori si gode una prospettiva sì vaga e amena, che può reggere a confronto di quelle amenissime che offrono i porti di cotesta Napoli, e di Costantinopoli. Vi farei aguzzare ben bene gli occhi per discernere alla destra di Thonon la folta e tenebrosa selva di Ripaglia; e poi seguitando la sponda vi condurrei collo sguardo sino ad Evian, famosa per le acque saponacee assai frequentate dagli stranieri. Ma lasciando il resto vi farei soprattutto rivolgere a guardare Losanna, che sulla costa Svizzera siede maestosa, e bella nel mezzo di un alta collina, e i verdissimi prati che le corrono a'piedi, e i deliziosi boschetti, e i gruppi di alberi che le fan corona, e sopra, e sotto, a destra, e a manca tutto il colle sparso e gremito di case, e finalmente i due campanili acuminati e bianchi delle chiese di S. Francesco, e della Città che si sollevano dal suo seno, e torreggiano.

Ma ecco che già si scopre di lungi il gran battello a vapore, il quale da Losanna dovrà trasportarmi in Ginevra con tanta rapidità di corso, quanta non avrebbe una vettura tratta da cavalli di posta. Addio mio caro D. Gaetano. Vi scriverò altrove, e vi darò notizie del resto del mio viaggio. Amatemi e credetemi di vero cuore

Il vostro affezionatissimo FRANCESCO.

moediam esse existimaret. Quinquennium igitur Alighcrianas habuit ad iuventutem Subalpinam acroases, quarum quis fuerit successus, Taurinenses oculis usurparunt propriis, Italia audivit. Frequens principio iuvenum concursus frequentior evadebat in dies, atque eo crevit usque, ut iterum ac tertio e laxiori in laxissimum concedendum fuerit locum, qui tantam caperet iuvenum multitudinem. Ad quingentos in schola consedisse perhibent qui eum audituri illuc confluebant. Neque id mirandum. Plurimam enim divini poëmatis existimationem animis iuventutis suis praelectionibus iniecerat. Nihil vero in eo erat arduum aut intellectu difficile, quod ipse non faceret planissimum. Cumque ἀλληγορίαν, quae explicando poëmati commodior sibi visa principio est, optasset, illi in omnibus enucleandis sententiis semper insistebat, ac sponte adeo ad eam omnia traducebat, ut ad unam illam composita fere cuncta esse viderentur. Verum tamen non ita uni serviebat sententiae, ut quid aliquando doctissimi Dantis explanatores senserint, candide non aperiret. Immo et in hoc sua triumphabat Aligheriana eruditio. Fere enim omnes legerat, et vero etiam expenderat auctores, qui in Dantem commentaria conscripserant. Quare si qua offenderet, in quae plures, uti fit, caderent sententiae, eaeque auctoritate gravissimae, nihil artificiose praeteribat, immo et luce qua poterat splendidiori, eas illuminabat. Nihil enim timebat, ne oppositas tandem sententias non aptissime componeret. Sed quod magis iuvenum animos suavi quadam admiratione percellebat, eosque dulcissime alliciebat, dignitas erat, qua thesauros Aligherianae sapientiae aperiebat; praesertim cum in

ea incideret, ex quibus mens facilius ad auctorem rerum omnium assurgeret. Tum Francisci praelectio, quippe qui homo esset theologicae rei peritissimus, exultare videbatur. Eius namque mens nobilissimo Religionis aestu quasi derepente correpta adeo erigebatur, ut magnifica quaeque conciperet, conceptaque tanta sententiarum gravitate, ac verborum dignitate exprimeret, ut in sui admirationem iuvenum animos vehementer arrigeret. Nihil enim his accidebat suavius, quam cum de thesauris divinae scientiae in Aligheriano poëmate veluti effossis dissertantem audire: idque Franciscus eo faciebat lubentius, quod insignes in Religionem pietatis sensus ex iuvenum animis nil tale cogitantium iucundissime eliceret. Ut autem germano patrii sermonis nitori in praelectionibus consuleret, cavebat sedulo, ne qua vocula concinna minus, aut incompta sibi inter dicendum excideret. Immo ut ex ipso, quem aperiebat auditoribus fontem, ostenderet quî hauriri possent limpidae purioris sermonis lymphae, curabat diligentissime, ut, quibus posset modis, verbis Aligherianis edissereret. Quare aliquando sermonem suum cum Aligherianis locutionibus tam artificiose interserebat, ut, utrum Aligherius audiretur an Franciscus, haud facile discerneres. Placebat tamen vehementer Aligherium quasi ab Aligherio audire: idque iis praesertim accidebat gratissimum, qui inter audiendum facili memoriae excursu totum Aligherii poëma perlegentes in eam suavem dubitationem veniebant, utrum Professori magis gratularentur, quam sibi. Adhuc dum in plagulis scapisque chartarum quaedam manu exaratae inveniuntur praelectionum formae, quas illi si absolvere, digerere, ac perficere

per tempus licuisset, fortasse commentarium tanto poëmati minus imparem non desideraret Italia.

Academiam instituit italicae litteraturae provehendae.

XXI. Ut autem suis auditoribus novam palaestram aperiret, in qua illi suorum ingeniorum facerent experimentum, atque ad italarum litterarum studia ferventer excolenda mutuo incitarentur, Franciscus publicam in regio Athenaeo Academiam instituit, cui eruditis quibusque civitatis hominibus interesse fas erat. Ea quaque saturni die in amphitheatro anatomico habebatur pro multitudine auditorum, qui ad septingentos quandoque conveniebant. Dabatur cuivis copía de re litteraria vel per se solum dissertandi, vel in dialogi modum cum alio disputandi, vel ea publice pro concione legendi, quae domi quis elaborasset: hac tamen aequissima lege, ut cuiquam e doctis viris adstantibus ius esset ea, quae notasset, libere animadvertendi. Iucundum certe tibi fuisset videre aliquando iuvenes satis pro aetate eruditos, ac politos e schola, qui in docta disputatione ita incalescebant, ut quasi de summa rerum eos disceptare credidisses. Eo alacritatis iuvenum animos Franciscus erexerat: qui tamen, ubi plus quam par foret, disputatores aestuantes videret, suum interponebat mitissimum arbitrium. Multis primum quae probanda erant, laudabat, et disputatoribus vel scriptoribus animos addebat maximos: quae vero offendisset animadversione digna, tali aperiebat candore, atque urbana ingenuitate, ut quasi lubentius ab eo animadversiones, quam laudes accepisses. Eius autem iudicium tali comprobabatur communi auditorum consensu, a quibus et quid de suo iudicio sentirent modestus vir postulabat, ut nihil illi detrahere, addere nihil possent unquam.

Exercitationes academicae.

XXII. Habuit etiam et ipse plures orationes ad frequentissimam auditorum coronam sane limatas, ac tanta gravium lectissimarumque sententiarum copia refertas, ut utrum sermonis puritatem prae his laudares, facile nescires. Ante alias, quas vel ad studia, ut mos est, auspicanda (1), vel ad na- Orationes in regio Athenaeo recitatae.

(1) Non indigna sunt memoratu, quae Taurinenses ephemerides de oratione praedicavere, qua Manera anno MDCCCXXVII studia in regio Athenaeo inauguravit; praesertim cum totius orationis ὑπόθεσιν capitulatim prae se ferre videantur. Haec igitur inter cetera.
« Toccò in quest' anno al p. Manera della Compagnia di Gesù, Reggente la Cattedra di eloquenza italiana, l'ufficio alternato col Professore di eloquenza greca e latina di dire al cospetto di questo sapientissimo areopago la inaugurale orazione; nè perchè sia questa un' antichissima usanza, per cui sono stati in sì lunga serie di anni trattati tanti e sì vari argomenti, al tema che egli prescelse è mancato il pregio della novità, avendo egli preso a combattere vittoriosamente la erronea opinione che hanno portato ai tempi nostri taluni, che la eloquenza perchè abusata, e fatta servire da pochi al reo fine di affascinare le menti, di corrompere i costumi, di traviare dal retto, di rompere il freno ad ogni popolaresca licenza, di sovvertire l'ordine legittimo, di sconvolgere regni ed imperii, condannare, e proscrivere si debba quale apportatrice di ogni mal fare, e di ogni turbamento alla civil società; paragonò l'oratore la bell'arte del dire a licor vitale, che le forze fisiche del corpo umano avviva e sostiene, e capaci le rende di opere utili grandi e maravigliose; che se avvenga che alcuno stemperatamente ne usi, ed invece di sommo vantaggio, gravissimo danno glien torni, dovrassi perciò accagionarne il licore, e gittarlo come letifero veleno? Perchè, soggiunge egli, tagliente acuta spada si è fatta fra le mani di un forsennato miserando strumento di eccidio, s'avrà ella a rompere fra quelle di valoroso e prudente capitano, che impugnata l'avesse a difesa del suo Re, a gloria della sua patria? Provata la utilità della eloquenza, l'oratore ne additò la vera natura, il fine, e la eccellenza, e la via sicura segnò per cui si giunge a possederla a perfezione; il primo assunto il condusse a dimostrare, che non si dà vera eloquenza, ove sia scompagnata da sana filosofia, siccome non vi ha scienza professata utilmente senza il corredo delle buone lettere; e qui recando ad esempio molti scienziati di gran nome i quali non altrimenti, che mercè di puri, ed eloquenti parlari pervennero a spiegare i reconditi arcani, e i sorprendenti fenomeni della natura, ed a chiarire le più sublimi teoriche della Teologia, della Metafisica, della Politica, della Giurisprudenza, e delle scienze astratte medesime, ad onore di questa patria nostra molto acconciamente notò, che i saldi argomenti messi in campo con tanta venustà di stile, e con

talem Regis diem bene ominandum recitavit (1), ea certe eluxit, quam ad confertissimum litterato-

sì stringente logica avvalorati nelle *Serate di Pietroburgo* a difesa degl' imprescrittibili diritti del Re, ed in un'altra opera diventata europea a sostegno dell' inviolabile autorità de' Papi, non sarebbero stati acconci a confutare, a convincere, se l'inclito autore non avesse accoppiato al vanto di pensatore profondo quello d' insigne letterato. I ristretti confini, in cui dobbiamo aggirarci, non ci consentono di seguir passo passo il p. Manera in tutto il maestoso corso della sua forbita orazione, la quale per la vasta erudizione, ond'è pasciuta, e per le veneri del purgato sermone, è per se stessa una pruova del primo suo assunto; e per toccare di volo del secondo, non taceremo, com' egli abbia posto per base, che il fondamento di ogni letteratura è il diurno ed il notturno studio de' modelli greci, e latini, al quale i più rinomati scrittori antichi e moderni in ogni genere di alto o di piacevoli, e tutte utili discipline andarono e vanno debitori dell' onoranza in che sono tenuti. Commendò parimente la pensata letteratura dei Padri della italiana favella sia di prosa sia di poesia, e nel raccomandarne la imitazione mostrò, ch'essa non debb'esser servile; che non si vogliono tarpare all' umano ingegno le ali, ma guidarne i voli per le immense regioni dello scibile, che perigliosi sono in ogni maniera di studi gli estremi, e qui accennò alla gran lite, che ferve accanita tuttora tra classici e Romantici, dalle cui penne sgocciolò in maggior copia il talvolta torbido inchiostro, che non ispicciasse l'acceso sangue dalle vene de' Guelfi, e Ghibellini. Il velo, ond' era tuttavia coperto il nodo di quest' altissimo piato non potea essere sollevato, che con somma avvedutezza, e consiglio, e non era dato di scioglierlo che a mano esperta e possente. Il nostro Oratore si addentrò, munita la destra di luminosissima fiaccola, nelle viscere della intricata quistione, e la delinì col giudicio, ch'egli diede delle scritture di quella benedetta anima di Alessandro Manzoni. Noi portiamo speranza, che questa orazione del p. Manera venga fatta di maggiormente publica ragione colle stampe, così a confermazione di quanto ne abbiamo detto, come ad ammaestramento de' giovani tironi, al vantaggio de' quali l' ha egli indiritta; se ne gioveranno essi imparando ad attingere alle pure sorgenti, che egli ha loro additato, a conoscere il valore degli autori, di cui ha portata dotta sentenza, a tenere la sicura via, che ha loro segnata, se pure aspirano al perfetto possedimento di quella eloquenza vera, senza la quale non si può conseguire nel letterario, e nello scientifico arringo una palma ecc. »

(1) Hoc quoque periculosum, ac difficile dicendi genus Manera uti tractare solebat prudenter, ita et docte. Inter ceteras, quas de eodem ipso argumento habuit orationes, ea quidem singulares meruit laudes, quam anno MDCCCXXVIII recitavit, de qua haec, aliis omissis, Taurinenses referunt ephemerides.

« L' oratore seco stesso si rallegrò, che il Religioso Istituto,

rum hominum conventum habuit anno MDCCCXXV, et in qua iuventutem subalpinam ad italicae sapientiae ac linguae studia excitabat, proposito scriptorum subalpinorum exemplo, quo utpote domestico facilius animi iuvenum ad imitationem inflammarentur. In ea primum scriptores praeteritarum aetatum recensebat, deque eorum operibus scite iudicabat. Inde ad praesentis aetatis scriptores progrediebatur: qua in parte orationis tractanda consilio utebatur sagacissimo. Plura in his laudanda sibi, quam notanda occurrere fatebatur. Multis

cui egli appartiene, dal sospetto francandolo d'ogni secreto impulso di sperati favori, o di miro ambiziose, allontanato da quegli scogli lo abbia, in cui corrono rischio gli oratori di rompere avendo a diro le lodi de' Principi viventi. Però dallo stato di floridezza, in cui sono le scienze o lo lettere in queste nostre contrado, egli trasse ragione di magnificaro il grando amore, che porta a' sudditi suoi l'Augusto Re Carlo Felice il quale col favorirle, e proteggerle consigliatamento avvisò di crescere lo splendoro, e la prosperità del suo regno: e qui prese l'Oratore con robustezza ed evidenza di pruove a combattere la storta opiniono di coloro, che tratti per avventura in inganno da una men cho illuminata pietà, veggono di mala voglia dilatarsi le fonti dell'umano sapere, quasi omai più non riesca di appressarvi lo labbra senz'attingervi acque fracide ed avvelenate: egli sostenne o dimostrò, che lo lettere e le scienzo anzichè nemiche e distruggitrici, sono della Religione sorelle e promovitrici, nè per l'abuso, cho talora fatto so n'abbia, doversi condannare e proscrivere: confutò quindi colla superiorità di una logica ineluttabile e con tutto il calore di una ispirata cloquenza la calunniosa imputazione fatta da certuni alla Religione di tarpar le alo all'ingegno, e di far argino ai progressi delle nobili ed utili disciplino, mostrando anzi quanto essa abbia giovato, o giovi a sgombrare la nebbia, onde un audace orgoglio acceca talvolta le menti, che per volor varcare i confini dal supremo Datore de' lumi all' umano intendimento segnati, tratto a negare in pien meriggio la luce sognano, e fabbricano assurdi sistemi, e nel sovvertire i meno cauti, od i deboli, del loro stesso farneticare omai più non si avveggono: conchiuse finalmente, che ove le scienze, e le lettere abbiano, como sotto il provvido reggimento dell'eccelso nostro Monarca, la Religione per consigliera o per guida, più franchi, più rapidi, ed a più alta meta rivolti è ad esse dato di muovero i passi, e maggior gloria ne torna per la certa loro utilità a coloro, che lo professano ».

amplificabat opera clarissimorum virorum Napionis, Grassii (1), Notae, aliorumque auctorum, quorum fama e subalpinae regionis finibus egressa ad alias quoque Italiae partes pervaserat. Sed in primis Carolum Bottam collocabat, quem postquam effusius fortasse quam par fuerit, laudasset, non

(1) Non potuit se tenere litteratissimus Grassius, quin suum in Maneram gratum animum continuo per litteras significaret, quas quippe ineditas heic tibi volo dare degustandas —

M.° Rever.° Padre Sig.° Prone Colmo.

Farei opera troppo diversa dai sacri doveri della gratitudine, se cercassi con parole di sdebitarmi dall'obbligo, che mi corre colla P. V. per l'encomio tutto spontaneo, che Ella ha fatto di me, e de' poveri miei scritti nella solenne tornata della Regia Università degli Studi. Basti il dirle, che questo preclaro segno dell' umanità e bontà sua rimarrà per sempre scolpito nel fondo d' un cuore, che sente i benefizi, e vive della loro memoria; però che vero benefizio mi sono state quelle affettuose parole nella stanca e travagliosa mia vita, alla quale ogni conforto morale giunge nuovo, insperato, e perciò soavissimo. Ben la severa ragione mi vieta di consentire in quella lode certamente non meritata, ma il cuore parla più forte, e le si apre con piena gioia.

La P. V. ha voluto rinnovellare verso di me quei tratti di generosità, e di gentilezza d'animo, co' quali l'illustre Compagnia di Gesù è da gran tempo usa a favorire e promuovere non solamente le scienze e le lettere, ma ben anche i loro cultori comunque sfolgorati dalla fortuna.

Affidato pertanto a così nobili virtù io prendo ardire ad offerirle una mia Operetta, della quale arrossisco meno delle altre, ma non per alcun valore, che essa abbia o di stile o di dottrina, ma piuttosto per la schiettezza de'sentimenti in essa professati in tempi, nei quali l' amore e le lodi della lingua italiana, e la ricordanza delle glorie de' Reali di Savoia non erano senza novità, nè senza pericolo. Con questa sola raccomandazione, e sicuro nel retto giudizio della P. V. questo primo saggio de' miei studi giovanili osa venire al cospetto di Lei, anzioso di essere accolto qual pegno umile ma sincero di tutta riconoscenza, e letto con benigno riguardo al tempo, in cui fu scritto. Che se piacerà a Dio, datore d' ogni bene, di ridonarmi l' amabile salute, io spero ancora di poter venire innanzi a Lei con qualche opera più degna dell' ambito suo suffragio, che sia testimonio solenne de' sensi d' alta stima, e d'intera divozione, co'quali ho l'onore di protestarmi

Di V. P. *Umilissimo e Devotissimo Servitore*

Grassi.

Torino il 10 di Novembre 1825.

potuit se continere, quin acriter simul insectaretur ob multas absurdas, falsas, atque impias sententias, quibus ille scriptor alioquin laudandus suas historias, easque praesertim quae de Italia sunt, foedatas voluit. Oratio ita omnibus eruditis qui aderant viris placuit, ut nemo unus illius vulgationem non continuo desideraverit. Petierunt, immo et flagitarunt ab eo plures Athenaei doctores, ut tandem illam vulgari pateretur. At homo qui ita demisse de se sentiebat, ut publicum conspectum pene horresceret, nunquam sinere voluit, ut sua lucubratio aliqua licet aliorum iudicio typis dignissima publicae lucis usura frueretur. In quo si demissam, quam sui habebat opinionem spectes, sane laudaveris: si factam tot tantorumque operum iacturam consideres, quibus rem augere litterariam potuisset, vix non vituperaveris. Ego aliquas quidem eius orationes publicatas velim: huiusmodi enim publicatio illud saltem efficeret, ut quae de tanto homine narraverim, extenuata potius, quam exaggerata esse viderentur. Exaggerata tamen iis non videbuntur litteratissimis Taurini viris, qui Manerae ingenium praesentes suspexerunt. Mihi satis esset dicere, doctissimos illos viros Peyronum, Bucheronum, Biondium cum paucis hac aetate sane comparandos plurimi Maneram fecisse, eiusque semper coluisse amicitiam. Neque etiam defuere homines eruditi, qui prius quam sua in lucem ederent volumina, liberum Manerae iudicium, quod magni pendebant, vellent audire. Quare ab hominibus cuivis disciplinae addictis adibatur, et quamvis ipse aliquando caussaretur suam vel in iurisprudentia, vel in medicina, vel in aliis facultatibus imperitiam, ut a iudicando abstineret, nihil

Quanti Maneram docti viri facerent.

tamen ab iis impetrabat, qui eius doctrinae et sagacitati confidebant. Saepe enim persenserant Francisci iudicium pro illa sua ingenuitate pluris valere, quam quod eorum, qui amicitiae blandientes vix iudicare solent vere.

Eius sedulitas in informanda bonis moribus Taurina iuventute.

XXIII. Per idem tempus Franciscus iuvenes, qui philosophicis disciplinis animum adiungebant, in omnibus pietatis, ac Religionis actibus exercebat. Moderabatur enim piam illam regii Athenaei sodalitatem, quam ii diebus quibusque festis frequentabant. Qua cura, qua diligentia, qua sollertia eorum animos ad omnem virtutem informare conaretur, non est cur dicam; licet libenter ad plura hac in re commemoranda delaberer, si alio mihi properandum non esset. Verum ex iis, quae de Francisco adhuc iuniore diximus quoad religiosam iuvenum institutionem, coniiciet facile lector, quae adiumenta eius diligentia industria atque ingeniosa sibi adsciverit, ut iuventutis praesertim vividae temperaret ardorem, ac divinarum humanarumque legum iugo submitteret. Sua enim naturali facilitate, atque insigni comitate animos frequentissimorum iuvenum sibi ita devinxerat, ut eum illi parentem veluti alterum observarent, atque amarent. Si qua quis de re monendus, eum dulcissimis verbis, secretoque in loco castigabat. Si cuius pietas emineret, laudare eam non diffitebatur. Si cuius elucerent virtutes, eas indicare, atque aliis etiam imitandas prudenter proponere non dubitabat. Omnes vero fervidis adhortationibus, quarum argumenta e materie iuvenili aetati accommoda petebat, ad Religionis amorem stimulabat, et vero etiam acuebat. Cumque bene nosset, iuvenes illuc aetatis deductos nancisci frequenter in

familiaribus collocutionibus, vel etiam de industria quaerere aliquando imprudenter occasionem disputandi de re Religionis, ne tot tantaque σφάλματα ructarentur, quot et quanta solent iuvenes theologicarum doctrinarum imperiti, saepe illis praecipua christianorum dogmatum capita oratione pressa, arguta, et quasi de schola enodabat, et quibus confirmari argumentis apte possent, eaque unde peti, strictim disserebat. Qua sane ratione dum inconsultae iuventuti de re Religionis nimis quam par esset disceptandi cupidae plurimum utilitatis afferebatur, veritati catholicorum dogmatum custodiendae non minimum consulebat. Quotannis vero per esuriales longioris ieiunii ferias commentationes Ignatianas, quas *exercitia spiritualia* appellitant, ad octo plerumque dies explicabat. Tantum quandoque suarum conciuncularum fructum, Dei opitulante gratia, percepit, ut frequentissimos viderit iuvenes per denicales Christi dies ad eucharisticam mensam accumbentes, ac plurimos ad meliorem frugem proposito adeo tenaci revocatos, ut qui fuerint antehac, nisi scivisses alicunde, nunquam per temet postmodum dignovisses.

Publica Taurinorum iuvenum supplicatio.

XXIV. Sed ut satius intelligatur, quo Religionis Franciscus iuvenes ceteroqnin grandiores, variisque addictos studiis sua facili moderatione ducere potuerit, nihil commodius publico illo pietatis christianae actu, quem anno Iubilaei MDCCCXXVI Taurinenses non spectarunt modo, sed fuerunt admirati. Nemo illud ignorat, quod per id tempus ad derivandam in se illam divinae indulgentiae partem, quam e meritorum Christi thesauro promit Ecclesia, oporteat, ut quisque templa adeat constituta, ibique eas Deo exolvat preces, quas su-

premus Ecclesiae Sacerdos solvendas decrevit. Ut ergo a studiosa iuventute satis huic religioso fieret officio, Franciscus non est veritus publicam illi supplicationem indicere. Iuvenes stata die convocavit, atque in tres distribuit classes pro trium sodalitatum divisione, quibus ii erant accensiti. Dein brevi sed efficaci allocutione eos docuit, quodnam Religionis experimentum mox coram totius civitatis aspectu exirent subituri. Inde creavit designatores, qui innumeram iuvenum multitudinem pro personarum statura distinguerent, ac binos copularent, ordinemque per viam servandum curarent. Signum salutis antecedebat sublime. Pone sequebatur praecinentium chorus: cetera dein multitudo lento gradu, vultu modesto, oculis demissis, persona ad poenitentiae sensum composita incedebat. Intercursabant designatores motos e loco ad locum revocaturi. Agmen claudebat Franciscus. Praecinentibus λιτανείας aliasque pias cantiones non verecundabantur concinere iuvenes. Quisque civis sistebat gradum tantam religionem admiraturus, quae homini cuiquam vitae licet profligatissimae lacrimas exculpsisset. Quam antea iuvenum opinionem civitas habuerat, ea die posuit. De iuventute regium Athenaeum frequentante sentire melius coepit. Neque mirum. Quod enim huc pietatis deveniat grandior illa nostrorum temporum iuventus, eaque praesertim, quae regia celebrare solet athenaea, profecto si quid vides, difficile admodum mecum dicere non dubitabis.

Honestae animorum relaxationes ab Manera iuvenibus procuratae.

XXV. Ut autem devinctiores iuvenum animos sibi faceret Franciscus illud etiam sua invenit industria, ut aliquando inter annum eos congregaret, atque extra urbem in locum deduceret ap-

positum, quo relaxationi animorum indulgerent. Itaque factum non semel, ut ad amplius ducentos modo ad Supergae collem, qui Taurinis imminet, Stupinigium modo, modo ad Montem Callerium in amoenissimas Regis villas, easque omnibus animo recreando instrumentis ornatissimas deduceret, ibique eos non avara exciperet coena, atque huc illuc vagari, et excurrere, honestisque aliis recreari oblectamentis permitteret, donec advesperascente die turmatim ad urbem laetitia exultantes, et rustico pulvere sordidi reverterentur. Quod quantam Francisco benevolentiam conciliaret, ii vident, qui ingenia iuvenum perspecta habent, ac pertentata. Sed qui iuvenum animis singularem Manerae amorem iniiciebat, ille erat tenerrimus commiserationis sensus, quo eorum sollicitudines, angores, molestias qua verbis humanissimis, qua etiam, cum posset, praesenti auxilio levabat. Neque obtigit semel, ut quidam iuvenes honesto loco nati sed omni fortuna destituti, cum suae eos sortis puderet, ad unum adire Franciscum non verecundarentur. Noverant enim se patrem adire, qui iuvenes eo loci deductos in carissimos susciperet filios. Manera enim nihil non solebat facere, ut egenae iuventuti succurreret. Si ipsi, ut saepe cadebat, nihil suppeteret e suis vindemiolis, quas eo reservabat, ut in subsidium iuvenum indigentium veniret, statim domo egrediebatur, atque homo ceterum verecundissimus amicos conveniebat mendicaturus honeste pro pauperculis stipem. Et licet ipse ab amicis pro se nihil fere in quovis vel officiorum, vel beneficiorum genere soleret postulare, pro iuvenibus tamen egestate pressis nihil quasi non flagitare verebatur: tantaque verborum insi-

Manerae erga egenos iuvenes caritas.

nuatione, ac vehementia apud amicos flebat iuventutis egenae miserias, ut facile ab iis quidpiam obtineret. Quae iuvenum commiseratio eo usque illius animum occupavit, ut quasi immodica quibusdam videretur. Ita scilicet ille faciebat, ut quas multi amicitias proprio apponunt lucro, eae iuventutis levamini servirent.

Eius epistolare commercium.

XXVI. Dum talia tantaque ageret Taurini Franciscus in utilitatem tum litterariam, tum religiosam iuventutis studiosae, non potuit quin eius nomen brevi ad doctissimorum hominum aures, qui in aliis Italiae partibus degebant, perveniret. Itaque horum plerique fuerunt, qui per litteras amicitiae foedus cum eo inire voluerunt. Extat adhuc altus epistolarum cumulus, quas ad eum per id tempus litteratissimi quique Italiae externarumque regionum viri scripserunt, ac porro dein scribere perrexerunt, quarum nonnullae aliae de aliis doctrinarum capitibus erudite pertractant, quasque, si per tempora liceret, in publicum emittere tum Francisci, tum eius amicorum nomini non minimam adderet laudis famam. Honoris caussa nomina tantum appellabo Manzonii, Peyroni, Cancellierii, Columbi, Notae, Bucheroni, quibuscum Manera non infrequens litterarum habuit commercium. Neque heic De Lemannaisium tacitum volo praeterire, ad quem et litteras dedit, si forte hominem ad saniora consilia revocare posset, atque eo ab errorum barathro deducere, in quod recta illum ire se sponte coniectum iam praevidebat (1).

(1) Id per te facile colliges ex vol. VI. cap. III. pag. 171. historiae S. I. ab Cretinavio — Iolyo gallice exaratae, cui titulus = *Histoire Religieuse, Politique, et Littéraire de la Compagnie de Jésus — Paris. Mellier fréres Editeurs. 1844.*

XXVII. Rebus tam prospere in Taurinis succedentibus, quisque sperasset facile diu illas esse duraturas. Verum quid non humana valet pravitas corrumpere? Non defuere qui ut invidiam de more Societati conflarent, per urbem insusurrarent civibus, Iesuitas Athenaeum velle occupare, professorias ambire sellas, facile homines callide se insinuantes ad id tandem evasuros; iam aliquid tenere; nisi ab Athenaeo removerentur, nihil non timendum (1). Quae invidiosae ineptarum dubitationum voces licet Francisco nil existimationis detraherent, tamen cum plus aequo percrebrescerent, fecere, ut iretur cautum, ne quid ex aliena stultitia detrimenti caperetur. Prudentiae ergo consultum est, et Franciscus ab Athenaeo revocatus, ne qua ultra vel levissima insusurrationis occasio praetexi posset. Ab Augusta Taurinorum revocatur.

XXVIII. Invidiosa autem professione deserta, Franciscus e Taurinis petiit Fanum, quae Umbriae urbs est in ora Semnonum littorea, ut ibi, quemadmodum apud nos est usus, tertio quem dicimus probationis anno operam daret. Est enim prudentissimum Ignatiani codicis scitum, quo sancitur, quemque post exactos studiorum annos, queis fieri forte potuit, ut religiosarum virtutum fervor intepuerit, ad ea redeat cultioris pietatis exercitamenta, quae sunt virtuti hominum experiundae, quibusque Societas quasi certo iudicat de suorum constanti in incoepto vitae curriculo voluntate, antequam ii sese tenaciori sacramento obligent So- Tertio vacat anno probationis.

(1) Ita Cretinavius–Iolyus in vol. VI. cap. V. pag. 282. historiae nuper memoratae « *Les Universitaires de Turin ont vu avec une jalousie mal contenue le Père François Manera réunir autour de sa chaire de littérature italienne la foule toujours plus enthusiaste de ses auditeurs. Manera est, par l'élégance de son imagination, l'un des professeurs les plus renommés de l'Université* ».

dalitati, ad quod sane dicendum is non accersitur, qui se Societati non tertio probaverit. Franciscus igitur, qui post quinquennalis magisterii strepitum sitiebat quietem, quanta cum alacritate Taurinenses rumores relinqueret Fanum convolaturus, non est cur persequar. Mutationem tamen persensit homo: proram enim alio vertebat: quique antehac nihil nisi amoenissima litterarum studia tractaverat, iam nuntio litteris remisso mentem alio convertebat. Sed qui in quibusvis, quas tractandas susciperet rebus, non poterat non esse sedulus ac sollers, is in nova vitae ratione sibi non defuit: adire carceres, aegrotos in nosocomiis visere, aures confitentibus peccata facilis praebere, rudes christianae doctrinae homines instituere, hac illac ad rusticanam plebeculam concionaturus excurrere, aliaque agere quae nostri propria sunt Instituti. Sed quod magis eum tenebat, nostrarum Constitutionum erat studium. Per id enim tempus nullam sinebat diem cedere, qua aliquem Ignatianarum Institutionum titulum non attentissime versaret, scrutaturus quid sapientiae in eo latitaret. Est enim ad haec reservatum tempora, ut Societatis homines, postquam animo sunt in religiosis virtutibus bene confirmato, ad pervestigandos codicis nostri sensus accedant. Quod cum certo sciam, non possum sine stomacho illam impudentissimam quorumdam homuncionum audaciam mirari, qui de nostris legibus libere adeo disceptant, ut per se diiudicent, quid in eis boni sit quid mali, quasi scirent quid sit Ignatianus codex, dum is vel a nostris ipsis hominibus, iisque sagacissimis peculiarem studii non oscitantis partem requirat, ut divinum eius magisterium dispici possit. Praeter

haec Franciscus sacris Theologiae studiis recolendis, ac Patrum Ecclesiasticorum operibus pervolutandis animum intendebat. Iam enim inde ab eo tempore praevidebat, se hanc viam tandem tenturum, ut sacra Dei documenta vel e cathedra discipulis edissereret, vel e suggestu populo explanaret. Neque opinio falsum eum habuit. Brevi enim Romam est vocatus ab Ioanne Roothaano, qui supremam Sodalitatis praefecturam nuper capessiverat, quique Franciscum probissime Taurini noverat in Provinciarum Collegio, cuius fuerat moderator, eumque faciebat plurimi, ac diligebat tenerrime.

XXIX. Roothaanus igitur Franciscum rei theologicae Professorem appellavit in hoc Gregoriano Gymnasio, quod et pro Urbis splendore, et pro auditorum tum frequentia tum dignitate, omnium, quae Societas per universum orbem gymnasia occupat, merito princeps haberi potest. Utrum Franciscus satis tanto fecerit muneri, Urbs novit. Ut brevi complectar quae a suis sociis accepi, id unum dicam, Maneram iis omnibus instructum et naturae et artis fuisse dotibus, quibus munus Professoris publici pro dignitate ac satisfactione amplissima obiret. Quod quidem testimonium pluris profecto facies si sciveris, me illud ab clarissimo Ioanne Perrono comprobatum audisse, qui in fungendo Theologiae magisterio plures fuit annos Manerae collega, quique quantus sit theologus, sat novit Europa. Neque aliter Manerae auditores testantur, quorum plures in praesentia suis nominibus rem vel litterariam, vel philosophicam, vel theologicam honestant apprime. Quos inter satis habeo, si unum appellem Carolum Passagliam, qui

Theologiae Professor in Collegio Romano renuntiatur.

uti quondam Manerae fuit auditor, ita et illi posthac successor fuit datus in ipso Theologiae magisterio, quod in hoc Gregoriano Athenaeo ea obit cum doctrinae fama, eaque cum eloquentiae laude pro rerum tractandarum conditione non incomptae, ut facile dubites, utrum honorificentius Manerae olim acciderit talem habuisse auditorem, quam huic deinceps Manerae successisse. Huiusmodi ergo auditores narrarunt, eum fuisse Maneram professorem, qui discipulos eloquentia delectaret, perspicuitate orationis attentos faceret, sententiarum delectu erudiret, acumine mentis arrigeret, sublimi doctrina percelleret. Neque id mihi aliisve mirum, qui Manera usi sunt familiariter. In ipsa enim familiari consuetudine tali suus sermo scatebat eloquentiae dulcedine, ea gravi verborum volubilitate fluebat, ut fere te illi respondere, cumque eo colloqui puderet; quasi tibimet ipse conscius evaderes, prae illo te prope loqui nescire. Aiunt etiam illum non communi uti solitum in suis praelectionibus puritate sermonis, tum etiam cum subtiles atque impeditas versaret quaestiones. Quod si in ceteris severis disciplinis rarum, id in theologicis quidem rarissimum. Postquam enim Doctores, qui a Schola nuncupantur, theologicam latinitatem barbarie scholastica infuscarunt, difficile illa absque aliquo doctrinarum tradendarum detrimento expoliri potest.

Eius in Theologiae magisterio animi modestia.

XXX. Dum talis esset magister Franciscus, qui ab omnibus libentissime audiretur, is uni sibi ad obeundum magisterium non videbatur idoneus. Quare aliquando eius animum tantus non occupabat modo, sed opprimebat demissionis sensus, ut statim ad gymnasii moderatorem adiret sollicitus il-

lum quanta posset precum vi rogaturus, ut in sui locum sufficeret alium, qui pro existimatione Societatis theologici Professoris muneri faceret satis. Neque parum negotii in eo erat moderatori, ut ipsi persuaderet parem eum tandem esse sacris disciplinis tradendis, aut nisi parem se existimaret, sinere tamen debere, ut utrum par esset, Moderatorum consilio aestimandum relinqueretur. Hic idem demissi animi sensus faciebat, ut si quando refellenda doctoris cuiuspiam foret sententia, se praeberet modestissimum, atque ab ea nisi multam praefatus auctoris laudem non discederet. Licet vero suam sententiam nervose adeo propugnaret, ut in eius opinionem non concessisses modo, sed iurasses, tamen virtutis nihil alienae sententiae volebat detractum. Immo nihil veritatis prae se opposita ferebat opinio, quod ipse artificiose pateretur latere, ne cui suspicionis quid iniiceretur velle se aliqua subterfugere reticendo. Dein se facilem discipulis dabat, suique illis potestatem non raro faciebat commodans benigne aures illorum difficultatibus: noverat enim candidatorum Theologiae tricas commiserescere.

Generalis studiis regundis creatur Praefectus.

XXXI. Atque haec Francisci sedulitas in iuvenum studiosorum profectu procurando Praesidem Provinciae impulit, ut eum solemni quatuor votorum sacramento iam obligatum omnibus studiis regundis generalem vellet Praefectum. Quod quidem munus apud nos nisi hominibus sagacibus, atque omnium fere disciplinarum gnaris obeundum vix datur. Huius enim praefecturae est accurare, ut cuiusvis generis studia non ferveant modo, sed in dies magis progrediantur. Praeterquam quod nil in studiis fit, quod eius oculos fugere debeat.

Quare nisi sit homo omni fere disciplina institutus, et naris emunctissimae, vix erit is, qui possit tantum obire pro dignitate munus. At nihil peritiae Francisco in quavis deerat doctrina: litteris erat satis eruditus: quacumque autem severiore disciplina apprime doctus. Quare in utroque studiorum genere aequus, et acutus erat arbiter, neque aliena in diiudicando egebat sententia. Is igitur in hac praefectura constitutus consulere accuratius iuventuti studiosae potuit, ac suae diligentiae satisfacere. Primum singulari illa sua facilitate atque urbanitate iuvenum animos sibi devinxit, quos ubi habuit obligatos, nil erat, quod ab eis non obtineret. Scholae frequentabantur assidue: quique antehac absentiae gratiam sibi libenter faciebant, Francisco Praefecto, de absentia ne cogitabant quidem. Si qui enim frequenter ac levi abessent de caussa, eos humaniter adeo monebat, ut illos abesse alias perpuderet. Totus dein erat in vigilando, an discipuli sedulam darent operam studiis: quare saepe rogitabat praeceptores, si qui alacriores ad studia persequenda essent, quos laudaret, et si qui segniores, quibus adderet stimulos. Circulos vero illos academicos, in quibus mentitis disputationum velitationibus concertare secum ipsi solent discipuli, aliquid se aestimare ostendens faciebat, ut iuvenum animi non minimum in iis calerent, atque ad pugnae cutem mirum in modum acuerentur.

Quanta diligentia studia rei sacrae in clericali proveheret iuventute.

Quam curam susciperet iuventutis in re Religionis.

XXXII. Quae vero christianae pietatis forent, ea non minori sedulitate curabat, ut a Romana iuventute servarentur, quam qua a Taurinensi servata voluerat. Quaeque discipulorum classis ut eam, cui adscripta esset, piam sodalitatem statis diebus assidue celebraret, studebat. Facile vero ad eius no-

titiam perveniebant qui negligentiores in Religionis actibus exercendis forent. Quos cum novisset Franciscus, eos in utrumque oculum quiescere non ferebat. Ad se arcessitos urbana monitione hortabatur, ut sui curam vellent gerere aliquam, neque pluris aestimarent quae corporis sunt, quam quae animi; providerent, ne cum tot tantisque abundarent praesidiis, ea frustra cadere paterentur. Vix erat qui his auditis, leni Francisci alloquio non caperetur, atque non illico promitteret posthac se cogitaturum meliora. Cumque studiosi iuvenes Franciscum potius ut amantissimum patrem diligerent, quam ut Praefectum timerent, non dubitabant plurimi arcana propriae conscientiae ipsi facere manifesta. Et revera Franciscus is erat, qui tantam sui faciebat fiduciam, ut nihil ipsi non concrederes fidentissime, licet tibi pro munere praeesset. Narrant frequentem ad eum accurrere solitam iuventutem peccata confessuram, quam tali complectebatur amore, ac tanta hilaritate accipiebat, ut quis vim sibi inferre credidisset, si quid ei candide non aperuisset. Neque autem tantum inter audiendas confessiones is piis hortationibus ad pietatem iuvenes stimulabat, sed saepe inter hebdomadam ad se illos arcessebat, qui forte laboriosiori egerent cultura, eosque pie docebat, quo se gererent modo, quid caverent, quid agerent.

Expendit nostram Rationem studiorum.

XXXIII. Cum talem Franciscus in studiis regundis se praestitisset Praefectum, supremus Sodalitatis Magister eum ex universa Societate constituit Quinquevirum expendendae nostrorum studiorum rationi, ac temporibus hisce nostris accomodandae (1). Hanc spartam Franciscus libens ornandam

(1) Consule sis historiam Cretinavii — Jolyi, quam antea memoravimus in vol. VI. c. VIII. p. 841, et seq. ubi inter alia multa

suscepit non pro decoris specie, quam sane contemnebat, sed pro inventutis utilitate, quam unice deperibat. Discussit ergo diligenter cum suis collegis nostrorum studiorum methodum, eiusque discussioni multa debemus, quae maximo cum iuventutis emolumento veteri methodo addita fuere: in quibus additamentis id semper doctus prudensque vir habuit prae oculis, ut solidis litteraturae fundamentis, graecitati scilicet, ac latinitati detractum voluerit nihil, dum patriis litteris consuleretur. Quod sane consilium quantum sit sapiens, illos unos in praesentia videre posse reor, eosque perpaucos, qui severioris litteraturae amore adhuc tenentur.

In Academias varias adsciscitur Socius.

XXXIV. Quis vero esset Manera iam urbanae Academiae audiverant; iamque diu pridem Arcadiae Pastores litteratum virum in socium voluerant adlectum. Sed ut alias vel litterarias, vel philosophicas sodalitates praeteream, quae Franciscum quaesivere, Academia illa in Urbe clarissima, quae a Religione Catholica vindicanda merito nuncupatur, eum cooptatione honestavit. Ut autem Franciscus suum in benevolentes illius moderatores gratum animum ostenderet, anno MDCCCXXXV in frequenti conventu, coram pluribus Patribus Purpuratis, aliisque viris amplissimis dissertationem sane eruditam, cui titulum fecerat *De Libertate Christiana*, perlegit. Difficile quidem dictu est, quan-

huc spectantia haec leges « *La ving et unième Congrégation émit le même voeu que la précédente, et par son decret XV elle renouvela la demande de récision pour le* Ratio studiorum. *Le Pere Roothaan s' empresse de nommer une commission afin de remplir cet important travail. L' Italie y fut représentée par Munera, la Sicile par Garofulo, la France par Loriquet, l' Allemagne par Van Hecke, l' Espagne par Gil. Ces cinq Péres, déjà célébres dans l' éducation étaient une garantie pour la Compagnie et pour les familles* ».

tum isthaec dissertatio sociis omnibus placuerit Academicis, qui de illa honestum testimonium in publicis ephemeridibus Romanis vulgatum voluerunt (1).

XXXV. Sed si Franciscus eruditis Urbis viris fuit doctrina notus, is eximia illa sua caritate in Eius in miseros homines caritas,

(1) Non abs re esso reor, hoc testimonium tibi heic legendum exhibere, cum illud Manerianae dissertationis capita summatim percurrat —

« Nel giorno 20 p. p. Agosto si adunò nell' Archiginnasio Romano l' Accademia di Religione Cattolica, ed il Reverendissimo P. Francesco Manera della Compagnia di Gesù vi lesse una dotta, e profonda dissertazione *Sulla Libertà Cristiana*. Fatto un rapido quadro di quella malintesa libertà sovvertitrice del buon ordine sociale, che si fomenta nel nostro secolo per opera di uomini temerarii, passò il ch. Accademico ad esporre la vera idea della libertà Evangelica. Pose per principio, che la libertà dell' uomo per essere veramente tale, deve avvicinarsi il più possibilmente alla libertà di Dio, ed in se far ritratto di quelle doti, per le quali la libertà Divina è per ogni guisa perfetta, doti che ridur si possono a due, cioè rettitudine, e potenza. Riguardo alla prima parte mostrò, che l' uomo è libero veramente quando può eleggere con sicurezza, e fuor di ogni contrasto; ma alla sicurezza dell' eleggere il bene si oppongono i falsi giudizii dell' intelletto, e i traviamenti della volontà; e ad eleggerlo senza contrasto viene impedito dall' impeto delle passioni disordinate. Per ovviare pertanto ai falsi giudizii è richiesta luce di verità, che non inganni; al pericolo di traviare devo soccorrere legge di giustizia, che non fallisca; la guerra dell' appetito deve vincersi con aiuto di forze efficaci; e da queste tre cose appunto è originata la libertà vera del Vangelo. Provò la seconda parte col far vedere, che è stoltezza il pretendere di allargare la libertà dell' uomo a quell' ampiezza di potere, che vorrebbesi derivare dall' eguaglianza, e dall' indipendenza; che per consiglio di sapientissima provvidenza deve essere tra gli uomini comunanza socievole, e quindi ineguaglianza e soggezione, e che appunto dalla unione delle forze fisiche, intellettuali, e morali nella società è avvalorata la potenza della libertà di ciascuno individuo: ma siccome il Vangelo colla legge della carità mantiene, e perfeziona l' unione dei membri nel corpo socievole, e santifica i legami, che gli stringono fra loro, così esso viene a rendere il più che è a sperarsi perfetta la potenza dell' umana libertà. Tutto ciò venne dall' egregio disserente trattato con molta forza di raziocinio, espresso con le grazie d' un bello stile, e convalidato opportunamente con la storia delle umane aberrazioni ».

homines quoslibet cuiusque opis egenos vix paucis non fuit notissimus. Pleraque repeterem, quae similia essent dictis, si heic narrarem, cum aliis publica officia obtinuisse, quae si diligenter exequerentur, viverent honeste: aliis victum quotidianum, huncque ad annos plures procurasse: aliis vestes, aliis pecuniarium subsidium, hocque perpetuum. At urget me desiderium exponendi, quantum Francisci caritas eluxerit, cum Asiana lues Urbem popularetur anno MDCCCXXXVII. Quis fuerit civitatis luctus, quis horror non describam. Non enim huius styli est, neque loci enarrare, quanto Urbem squalore illa tabes compleverit. Satis habeo, si illud dicam, civitatem uno personuisse in ea calamitate eiulatu, quo abs irato Deo misericordiam imploraret. Nulla enim neque laticum, neque medicamentorum vi fas erat confidere. Unus fletus funerum acerbitatem mitigabat, si flentibus quidem parceret lues. Lacrimis enim ipsis invidebat; cumque halitu lethifero familiam aliquam afflasset, eam osculo mortis complectebatur; neque inde pedem efferebat, nisi pene omnes elati funere forent. Franciscus, qui natura plus quam narrari possit, mortis adspectum perhorrescebat, nihil timebat magis, antequam lues illa ad nostras oras adlaberetur, quam suum hunc timorem, quo fieri fortasse poterat, ut a praestandis iis christianae pietatis officiis removeretur, quae Socii sine dubio ea tempestate in civium utilitatem forent praestituri. Sed ubi morbus male ominatus Urbem corripuit, religiosa animi virtus vicit timorem naturae. Francisci pietas vires sumebat e lacrimis. Dum luctum, squalorem, paedoremque Urbis miseraretur, animus ipsi crescebat; ac, posito discriminis cuiusque pavore, quasi

Quae erga cives Asiana lue correptos praesertim emicuit.

audax miles primus irruebat in aciem. Saepius enim quam ceteri, et ubi certius videbatur offendi periculum, is, adscito modo uno, modo altero caritatis socio, accurrebat sollicitus et quasi anxius, si quid humanae opis aegrotanti afferre posset, si quid christianae morituro. Frequenter cadebat, ut domos reperiret omni familia vacuas, quae aegrotum miserrime inter tormina eiulantem deseruerat. Tenebat enim opinio, qua timebatur, luem illam esse contagiosam: quae opinio plus quam crederes per eam tempestatem quorumdam animos occupaverat, efficiebatque, ut prae metu sanctioris quoque pietatis officia aliquando negligerentur. Hisce tamen terriculamentis non absterrebatur Franciscus: ad aegrotum veniebat, eumque, quo posset auxilii genere, iuvabat. Si cui nervi pro morbi violentia contracti adeo fuissent, atque contorti, ut iam membra gelido rigore stupuerint, is ea villosis pannis tamdiu fricabat refricabatque, quamdiu calor, si qui venis occuluerit; torpidis tandem artibus reconciliaretur. Quae vero a Medicis opportuna morbo compescendo existimabantur, ipse manu sua aegrotantibus praestare cupiebat: quo sin minus relevare aegrotos posset, at illos eximio caritatis affectu, quem significabat, solabatur. Nullis autem movebatur impedimentis, quibus ab aegrotantium hominum lectis discederet. Et licet multa, quae videret, non posset non stomachari, nil tamen ipsi erat tanti, ut robustam eius pietatis vim infringeret. Cum omnis medicamentorum virtus caderet victa, statim is ad ea quae animo procurando, atque ad mortem disponendo erant, veniebat. Qua quidem in re singularem dixisses eius peritiam; et plures eum arcessitum mittebant, cum

de certo vitae discrimine ageretur. Mira enim lenitate aegroto periculum, quod subiturus erat, nuntiabat. Dein illum sententiis solabatur mollissimis e supremis Christi cruciatibus plerumque petitis. Animum morituri ad fiduciam salutis stimulabat egregie: spem enim plurimam illi iniiciebat aeternae quietis, qua spe aegrotus multo maxime relevatus de pianda a culpis anima per se sponte cogitabat. Tum Franciscus suam pollicebatur operam: se peccata confitentem adiuturum facile: nihil debere in morituro esse timoris, ne qua forte oblivisceretur: satis multum esse, si, quae meminisset, aperte diceret. Peccata tum audiebat ab eiulante inter saniem, ac purulentam mucosamque ventris proluviem, quae ipsi vomitum concitabat. Persistebat tamen, neque prius aegrotum deserebat, quam cum extremis omnibus Religionis officiis procurasset.

Novum caritatis genus erga amentes exercitum.

XXXVI. Sed iam ad alterum christianae caritatis genus progredior, quod cum legeris, vix poteris ut singulare, ac prope unicum illud non dicas. Hanc autem novi generis caritatem Manera exercuit cum miserrima illa hominum classe, qui per animi affectionem lumine mentis destituti amentes dicuntur. Cum his Manera, sive illa laborarent amentia pacata, et quasi stupida, sive furiosa illa, atque violenta, quae insania proprie vocatur, agere adeo sciebat sollerter, ut quas teneret vias, quibus se in illorum animos insinuaret, nemo unquam noverit. Mirabantur tamen omnes unum ipsum aliquando libere, et confidenter ad illas accedere humanas belluas. Non deerant, qui saepe eum monerent, ut cautius ageret cum illis: nil eis auscultabat Franciscus: expertus enim

erat, quid ad obtinendum finem tentandum foret. Revera iucundum tibi fuisset aliquando Maneram adspicere ad amentes accedentem modo incessu serio; modo hilari, et quasi levi, modo fronte explicata, modo caperata, modo vultu aperto, modo contracto, atque illum audire cum iis disserentem. De cuiusvis dementia sciebat, ex quo originem duxisset, quos fecisset progressus: quare facile, ac dextere scopulos declinabat. Venusta pleraque, et lepida inter loquendum miscebat, et multa etiam pro occasione seria, et quasi negotiosa; quousque tandem eo quo vellet, illorum mentes converteret. Cum enim huc erant deducti facile obtinebat, ut illi ad se per aliquod saltem temporis intervallum redirent. Quod ipsi satis erat superque, ut quae sani antea insane peccassent, serio detestarentur. Verum praeclarissimo hoc patientis caritatis genere plures non ab futurae tantum salutis iactura, sed et a certo praesentis vitae discrimine liberavit. Pluribus enim amentibus, qui sibi mortem vellent consciscere, persuadebat argumentis scitis an inscitis nescio, certe ad rem opportunis, ne tantum patrarent facinus.

Insanum quemdam hominem certo liberat mortis discrimine.

XXXVII. Et ne multa videar asserere, quin probatum aliquod factum exponam, libet heic dicere de insigni huiusmodi pietatis specimine, quod in insanum quemdam hominem Manera exhibuit. Erat homo nobilis, atque amplissimis viris apprime carus, qui quotidie stata hora correptus insania se praecipitem dare volebat e fenestra. Quare cum inauspicata illa hora appropinquaret, nil erat, quod hominem furiosum valeret continere: nemo ad effraenem belluam accedere tentasset: saepe diffractis vitreis fenestrarum obicibus in eo erat, ut at-

tolleret crura sese praecipitaturus. Illo antehac familiariter Manera usus fuerat, eiusque ingenium noverat, et, cur in illud morbi incidisset, sciebat. Ad eum igitur sub tempus, quo insano aestu corripi solebat, accessit. Familiariter exceptus sermocinari amicissime coepit. Ubi oculi illi virescere coeperunt, ac deformem in modum intorqueri, is notis suis artibus potuit eum aliquantillum a primis tenere motibus. Tum ille de praecipitatione statim verba facere. Libenter assensurum se, aiebat Franciscus, si talis tantique amici aspectu per eam praecipitationem non privaretur: quare eum ipsi concedere ultro, ut se daret praecipitem (quid enim amenti?) modo sineret, ut antequam se praecipitem daret, arcessitum amicum mitteret, qui eum postremo tandem videret. Placuit insano homini amicum consilium, annuensque promisit, nunquam se praecipitatum iri, quin iterum Maneram vidisset; quod promissum, ac receptum saepe deinceps per aedes murmurans repetebat. Quare ex eo tempore cum insana illa praecipitationis immaginatione connexa copulataque est immaginatio amici. Ex quo factum, ut nulla is die correptus illa esset vesania, quin de Manera cogitaret, quaereretque. Quid tum Manera? Is ut illius vitam a tanto liberaret discrimine, nullo tempore, quo foret vocatus, eum non adibat. Cumque nova semper sese mutuo visendi redintegraretur promissio, factum est, ut is nunquam se praecipitaverit, atque aestus ille vesanus sensim deferbuerit. Ubi autem convaluisse visus est, abeundi alio facultatem postulavit. Manera illi abitionem obtinuit. Timuit tamen, ne in insaniam recideret: quare novum foedus sua industria feriendum cum illo reperit: ut mutuum

scilicet sibi facerent promissum, quo alius ad alterum scriberet frequenter, neque munusculis, cum possent, litterariis amicitiam testari cessarent. Franciscus quidem, quod sciam, nunquam promisso defuit, atque illi non scribere modo, sed et pleraque cuiusque generis opuscula praesertim poëtica identidem missitare non destitit. Si haec caritatis sint eximiae, volo, ut lectoris animus iudicet. Ego ad alia propero.

XXXVIII. E scholae cathedra ad Ecclesiae suggestum Mancra fuit traductus. Is primum ad frequentem populum in templo urbano, quod a Sanctissimo Iesu Nomine nuncupatur, per quadragenas maioris ieiunii ferias habuit conciones. Ego ne dotes, quas alibi in Mancrianis orationibus numeravi, heic repetam, hoc unum dicam, conciones pro ea tum inventionis, tum tractationis novitate, qua illas Mancra distinguebat, satis auditorum animis mirum in modum fecisse. Hoc enim erat Mancrae proprium, ut quae veluti antiquata habuisses argumenta, ea tibi quasi nova praeferret consideranda. Talibus enim, ac tot inventis sententiisque intercidentibus illa ornabat, ut nova omnino lux menti ex iis tuae affulgere videretur. Inter ceteras, quas manu scriptas in scapis inveni, eas volui quasi ἐπὶ σχολῆς lectitare, quas *De Matrimonio Catholico* inscripsit. De his enim multos audieram multa memorasse. Revera illae, qualis orator Mancra fuerit, ostendunt facile. Eae quidem tres sunt: in prima de officiis sponsorum disserit concionator, antequam Matrimonium ineatur: in altera de Coniugum partibus in matrimonio incundo loquitur: in tertia demum aperit, quibusnam obligatus restet vinculis, qui Matrimonii fidem strinxit Sacra-

E scholae cathedra ad Ecclesiae suggestum traducitur.

Conciones *de Matrimonio Catholico.*

mento. In his ego legendis, miratus equidem sum, qui potuerit Manera cum tanta rei tum theologicae, tum civilis peritia eam, quam prae se fert rei familiaris notitiam sociare. Mihi illae tales profecto videntur, e quibus opusculum Christianis sane perutile concinnari posset. Ne omnia tamen videar laudare, quod meum certe non est, heic non dissimulabo, actionem illam corporis, cui in oratoria exercenda primae, secundae, ac tertiae cum Demosthene sunt tribuendae, fuisse in Manera frigidiusculam. Sed facile excusabitur ab iis, qui meminerint, eum multos post annos, quibus in schola docuerat, ecclesiasticum suggestum adscendisse. Ex hoc enim factum, ut eius actio professoriam potius tranquillitatem saperet, quam concitationem illam oratoriam. Id et ipsi viderunt auditores, quando Manera, relicto illo concitatiori dicendi genere, quod per quadragenorum ieiunorum dies tenuerat, ad illud devenit tranquillius, et quasi pacatius, sed eruditius tamen, et quasi dignum schola, quod in iis, quae *Sacrae Lectiones* appellantur, usurpari solet. In his enim triumphabat non modo eruditio, atque illa volubilis dicendi copia, qua affluebat Manera, sed et actio ipsa, quae in hisce sacrarum litterarum explanationibus non multum distare a professoria potest.

Eius in Societate Praefecturae.

XXXIX. Sed iam me tempus monet, ut ad eam vitae partem explicandam veniam, quam in Societatis praefecturis Manera exegit: brevem illam quidem, si meum Sociorumque omnium spectes desiderium; longam autem, si multa, quae perfecit, et plura quae perficienda inchoavit, consideres. Hac tamen in mei commentarii parte mens mihi non est memorandi, nisi quae sunt singula-

rià. Eo enim utar beneficio, quod huius generis scripta concedere auctoribus solent; ut scilicet quo ad finem proximent magis, eo plura possint reticeri, quippe quae e vita iam explicata, ex hominis ingenio iam manifestato facile coniici queant. Manera igitur Novembri mense anni MDCCCXLI Neapolim est missus a Ioanne Roothaano quasi designatus Provincialis Neapolitanae Societatis Praefectus. Heic Theologiae dogmata per aliquot menses ea cum laudis fama publice explanavit, quae tanti professoris nomine digna foret. Ubi autem Provinciam habere perspectam potuit, eam capessivit mense Iunio anni MDCCCXLII. Quanta cum Sodalium omnium laetitia atque spe exceptus fuerit homo doctus, prudens, humanissimus, supervacaneum heic esset narrare. Tamen ut, quae dicenda sunt, ordine non careant suo, tria mihi in Manera Socios moderante visa semper sunt singularia. Mira primum regiminis lenitudo, fervens dein cura in studiis praesertim domesticis provehendis, summa tandem diligentia in bono Societatis nomine tuendo, atque omnibus praeclaris operibus amplificando. Creatur Neapolit. Prov. Praefectus.

XL. Atque horum primum facit, ut heic me tenere non possim, quin Maneram confidentissime illis obiiciam blateronibus, qui Societatis Moderatores calumniantur, quasi spiritum servitutis in ea foverent. Manera ab isthoc servitutis spiritu, quem et Paulus reprobat (1), et vel inde usque ab Institutionum nostrarum proëmio Ignatius Pater ac Legislator a nostra Sodalitate voluit amandatum (2), Quem spiritum in Sodalibus foveri vellet.

(1) Rom. VIII. 15. et 1. Cor. VII. 15.
(2) Part. 1. c. 1. sect. 3. n. 1.

non abhorrebat modo, sed et illum execrabatur. Is enim amoris spiritum in imo corde habebat quasi natura insculptum. Lenissimis huius spiritus auris volebat, ut quisque ad ea, quae forent agenda, non impelleretur, sed suaviter moveretur. Ad haec is eo regebatur trito prudentiae praecepto, quo omnes virtutibus omnibus existimaret ornatos, verum eos tamen ut homines tractaret. Ex quo fiebat, ut virtutes quidem in Sociis suspiceret, humanitatem tamen observaret, supremum illum rerum omnium imitatus Moderatorem, qui uti hominem voluit terrarum dominum, ita et erga eum quamdam adhibet reverentiam. Haec autem humana urbanaque lenitudo faciebat, ut is omnibus, qui tandem ii essent, affabilem se, amabilem, facilem praestaret. Si quid cui foret negandum, quod raro quidem veniebat, magis ei negantia videbatur dolere, quam postulanti. Adeo enim sibi displicebat, cum quid negaret, ut postmodum te puderet ea postulasse, per quae illum postulata negantem aegritudine affeceris. Cum vero postulata facere se posse crederet, credebat autem saepissime, vix expectabat, ut ea proponeres, cum iam tibi concesserat, quae rogaveras. Ex quo fiebat, ut qui hominis indulgentiam noveras, esses in petendo cautior, non impulsus diffidentia obtinendi, sed verecundo quodam animi sensu, quo benignitate moderatoris facile donantis abutendum tibi non esse per te videres. Ut autem omnibus, quoad posset, satisfaceret, nihil non tentabat. Immo saepe querebatur, et sibi quasi crimini ducebat, suaeque agendi rationi vertebat, atque imprudentiae, quod non omnibus facere aliquando posset satis: dum tamen id, ut facile vides, non tam mode-

Qualem se Sociis praestaret.

ratorum ingenio, quam cuiuslibet societatis indoli sit tribuendum. Tamen ipse sollerter investigabat, in quod quisque vel studiorum, vel officiorum genus quasi natura inclinaret, eumque illuc, quantum res paterentur, dirigebat. Ex quo quidem fiebat, ut nemo quae sibi obeunda committerentur munia, ea non alacri promptoque animo exequeretur. Nulli enim illud non cognitum, quod, ubi religiosa animi virtus suavi quodam foederis vinculo cum natura iungatur, nihil fere non possit ab hac amicissima virium conspiratione obtineri.

XLI. Neve tamen quis putet per hanc miram Manerae lenitatem remissum unquam fuisse quidpiam illius diligentiae, quae, ut servetur legum nostrarum custodia, per moderatores solet accurari. Vigilabat enim sedulo, et si qua in re peccaretur, matura monitione usus providebat, ne quid laxamenti domesticae daretur disciplinae. Sed non erat, ut forte quis Societatis criminator putaret, inspector clancularius, qui huc illuc oculos coniiceret emissitios, si quid posset piscari quod puniret. Immo si quid de te audisset, ac monere te aliqua de re opportunum censuisset, non ideo rugas vultui temporarias inducebat, vel austerum induebat supercilium ostentaturus precariam severitudinem. Verum, te arcessito, a te ipso humaniter sciscitabatur, quid novi accidisset. Re audita, tibi candide aperiebat, quid de te accepisset: dein quasi illa, quae ab aliis sibi delata fuerant, non crederet, tibi aperte manifestabat, quid non factum eo in negotio voluisset: tu, qui tibi rei conscius eras, facile humanissimi monitoris verba intelligebas. Quae lenissima te monendi ratio faciebat, ut errati, in quod forte incideras, non minimum te poeniteret, et,

Eius diligentia in fovenda legum Soc. custodia.

quantum posses, in eo omnes omnino nervos contenderes, ut in posterum non denuo errares.

Eius aequanimitas.

XLII. Cum haec tamen narro, nolim omnia tribuas mitissimo hominis ingenio, virtuti autem parum. Immo huic fere omnia tribuenda potius, quam illi. Manera enim animo erat tenero, atque ad quaevis penitus sentienda apprime facto: quare afficiebatur facillime, si quid minus recte factum videret. Affectum tamen premebat, seque in omnibus semper praeferebat aequanimum. Sed quod miraberis, is si quid molestiae ab aliquo pateretur, se adeo continebat, immo ita se cum illo gerebat, ut beneficium insigne aliquod ab eo ipsum accepisse credidisses. Illum enim compellabat hilarius, rogabatque, ut si qua re indigeret, aperiret confidenter. Quod si ille faceret, Manera cumulatissime illius satisfaciebat voluntati. Brevi Manera Sodales non modo ut subiectos diligebat, sed ut filios amabat; atque uti eos ipse amabat, ita et ab ipsis amari discupiebat. Mature enim intellexerat, nullum arctius cuiusque societatis vinculum, nullum firmius cuiuslibet regiminis columen esse benevolentia. Quare ut amaretur, nihil non faciebat. Et revera neminem invenisses, qui vecors adeo esset, ut hominem talem ita in subiectos animatum non sicut alterum parentem observaret, diligeret, immo amaret quam tenerrime.

Quam curam susciperet de aegrotis Sodalibus.

XLIII. At qui se in omnes Sodales patrem praestabat, is Sociorum qui aegroti essent, mater esse, ac dici cupiebat. Equidem non fallor, si dicam, potiorem sui amoris partem aegrotos semper Socios sibi vindicasse. Credebat enim Manera Sodalibus aegrotantibus peculiaria amoris, ac benevolentiae officia non concedi quasi voluntaria

benignitate, sed iure merito deberi. *Vincar ne ego*, aiebat olim, *ab matre, quae si filium domi haberet aegrotantem, nullis parceret curis, impendiis nullis, nullis laboribus, ut pristinae eum restitueret sanitati? Nonne vero mater filium Societati tradidit, nonne Societas mihi?* Atque heic addebat sententiam sane nobilissimam, quamque ex animo quidem meo nunquam delebo: *Licet aegrotus*, aiebat, *is esset, qui omnibus vitiis cooperiretur, tamen ex eo uno illum omnia caritatis officia mereri arbitrarer, quod paternam reliquerit domum Christum pauperem secuturus.* Quae mira tenerrimi animi pietas faciebat, ut is, cum de Sodalibus res esset aegrotis, nihil non tentaret, ut ii convalescerent. Multa quidem, quae huc attinent, haberem enarranda. Ne nimius tamen sim, pauca capitulatim persequar. Quod primum in officiis committendis spectabat, valetudo erat Sodalium. Quare cum variis cuiusque viribus, cum varia locorum, regionumque temperie officia commetiebatur, quae dabat obeunda. Immo vix in hisce unquam tractandis non consulebat Medicos, quorum sententiae, licet quandoque plus quam par esset benignae, acquiescebat continuo, suamque mutans mentem illi stabat. Dein Manera morbos, quibus facile implicitum iri Sodales, vel ab laboribus praevideret, quos per officia ferrent, vel ab corporis constitutione, praevenire matura curatione studebat. Quare factum aliquando, ut quosdam traditos Medicis vellet, qui sibi sani viderentur; qui tamen ipsi per se non diu post, morbo ingruente, senserint quantum provido deberent patri.

Qua industria sanitatem defenderet Sociorum.

XLIV. Cum vero provincialia Collegia iuxta Ignatianum praescriptum inviseret quotannis, potis-

Quid ageret quoad aegroto: Soc. cum provincialia

inviseret Collegia.

simam suae sedulitatis partem sibi vindicabat Sociorum valetudo. Ubi primum in illa pedem inferebat, Rectorem statim percontabatur de Sodalium valetudine. Si bene ille valere omnes reponeret, quasi res quaedam speratissima sibi e sententia cessisset, laetabatur vehementer, ac Rectori summopere gratulabatur, eiusque curae, ac vigilantiae sanitatem Sociorum acceptam referens gratias ei maximas coram omnibus reddebat. Quod si quem aegrotare audisset, mirum in modum sollicitabatur, atque aegrotum ab visitato Iesu sub Eucharistica specie velato secundum conveniebat, suavissimaque adlocutione illum adeo recreabat, ut is quasi revaluisse ea die sibi videretur. Cum unum vero quemque singulatim compellaret, quod rogabat primum illud erat, ut si quid forte notasset sive in victu, sive in vitae ducendae ratione, quod existimaret vel noxium saluti ac removendum, vel utile atque comparandum, confidenter proponeret. Quisque sua, uti fit, proponebat cogitata. Audiebat Franciscus, quaeque opportuna crederet, dictante illo, memoriali quodam commentariolo excipiebat, ut posthac cum tempus esset, eorum haberet rationem. Et habebat vero. Suo enim tempore, accitis ad se tum Collegii Moderatoribus, tum Medicis, sollicite eos consulebat, quidnam expediret potissimum, ut valetudo Sodalium, qui eo sub coelo viverent, iisque addicti essent officiis, posset meliorescere. Quae autem audiebat a Medicis, sàncta erant: neque facile persuaderi patiebatur Procuratorum ciulatibus, illud Ignatii Patris frequentissime usurpans, quod sacra ipsa, si ferat necessitas, moveri debeant ad salutem Sociorum defendendam. Atque is

ita se quidem gerebat, suaque in agendi ratione exemplum volebat aliis statutum. Ubi enim audiebat, aliquid licet sumptuosum ad sanitatem Sodalis cuiusquam restituendam fuisse non dicam praeceptum, sed suasum a Medicis, statim is iubebat illud quasi necessarium comparari. Si cui mutationem aëris profuturam esse crederent Medici, statim is illuc, quo ii praeciperent, Sodalem non modo mittebat, sed euntem, cum posset, comitabatur. Quare saepe in Beneventanum deduxit quosdam e nostris iunioribus Sociis, qui φθίσει laborarent, quosque Medici pro pinguiori aëris crassitudine, illi commissos coelo voluerant. In itinere curabat Manera, ut commodiores in rheda sessiones concederentur aegrotis. Quare is aegrotis semper, plerumque etiam sanis posticam rhedae partem, quae commodior esse solet, occupandam relinquebat, sibique anticam, ac temoni propiorem reservabat, licet non minimum exinde caperet incommodi. Quin et pluries, uti ab ipsis habeo aegrotis compertum, voluit, ut in suo innixi pectore, cum in rheda sederent, per iter quiescerent. Ubi autem in locum ventum erat, si matrem suam civitatis illius Medicis debuisset commendare, profecto non fecisset pluribus. E Medicis autem eos volebat eligi, qui suam imitarentur sollicitudinem, hosque prae aliis existimabat, ac diligebat. Hac de causa invenio, eum plurimi fecisse, ac non minimum dilexisse Beneventanum quemdam Medicum Iosephum cognomento Schinosium, ac Neapoli Chirurgum Dominicum Bergamum, quod ii cum multa artis medicae peritia sollicitudinem vere maternam in curandis Sodalibus sociarent.

XLV. Nunquam vero Manera indignabatur ma- Qua sollicitudine aegrotorum peli-

tiones, cum posset, exaudita svellet.

gis, quam cum quid Sodali cuipiam aegroto negatum audiret. Id ut credas, quod subiiciam certo faciet. Solebat is per noctem concubiam, cum omnes quiescerent, ad eos visere aegrotos, quos noverat per acerbas morbi molestias dormire non posse. Hos ipse nocturnis solabatur collocutionibus, eisque illos mitigabat angores, quos per noctem, cum omnia silent, tenebrae quasi acerbiores reddere videntur. Pro harum allocutionum nocturnarum occasione audiit olim ab iuniore quodam Socio, cuius valetudini iam desperaverant Medici, rem nescio quam illi ab Ministro (sic eum appellamus, qui in nostris Collegiis est alter a Rectore, atque usui rei domesticae moderando praeest) fuisse negitatam. Rem non tulit Franciscus; atque illico indignabundus ad Ministrum misit, qui cum a se iuberet continuo expergisci, atque aegrotanti illud praestare, quod is postulaverat: neque prius per eam noctem ab aegrotantis lectulo voluit discedere, quam suis ipsemet oculis recognoverit, illius voluntati satis omnino factum fuisse. Qui tamen adeo aegris indulgebat, ut nihil fere iis negari pateretur, idem ipse nihil unquam sanis concessum volebat, quod valetudini vel levissime nocere credidisset. Quare neque ipse per se praesertim iuvenibus eas dabat venias, quas insalubres, et per iocum *insanas* dicebat, neque eas per alios moderatores datas unquam volebat. Atque hoc non auditum sed cognitum narro.

Quemdam Socium noctu certo vitae periculo eximit.

XLVI. Sed qui nocturnarum Manerae circumitionum, quamdiu vivet, nunquam obliviscetur, is erit profecto Sacerdos quidam noster Gaspar cognomine Ringelsteinus gente Helvetius. Hic in angulo domus remotiore habitabat. Accidit olim, ut

repentino αἱμοῤῥαγίας impetu per noctem intempestam correptus multam evomeret sanguinis copiam. Vomitu identidem interquiescente, gemens quoad posset clamabat, si quis eum audiret, eique ferret auxilium. At quiescebant omnes. Casu Manera illac per eam horam transibat. Intermissos subaudire sibi videtur gemitus: ad cubiculum accedit: ab ostio auscultat, ac rem suspicatus sinistram in cubiculum irrumpit: spectat, horrescit, sed horrorem premens currit vocaturus Sodalem ab aegrotis: continuo Medicum arcessitum mittit: iubet interim incidi venam, aliaque praestari sanguinem sedantia: cessat paullisper vomitus. Venit interea Medicus: facta probat, alia praescribit facienda; continuo haec praestantur: sedatur sanguis. Dilucescente die alter accedit Medicus: curationem e sententia Medicorum consentiente iubet Manera executioni accuratae mandandam. Paucis: post multos diligentissimae curationis menses Ringelsteinus per Maneram ita revaluit, ut ad officium pristinum, quod est de Helvetiis militibus in Religione procurandis, multa cum illarum animarum utilitate redire potuerit.

Quid ageret Neapoli, ut Sociorum salus tutius procuraretur.

XLVII. Haec vero ipsa pro aegrotis Sodalibus sollicitudo faciebat, ut cum morbus aggravescere videretur, plures is Medicos, hosque peritissimos in consilium vocandos curaret, qui inter se deliberarent, quid facto esset opus ad violentiam morbi comprimendam: neque patiebatur unquam ita morbum crudescere, ut accitis tandem Medicis illud pronuntiandum restaret unum, quod de Sodalis vita esset conclamatum. Hac etiam de causa voluit, ut Medico Neapolitani Collegii ordinario et alius extraordinarius adderetur, ut si qua for-

te in morbis curandis dubitatio exoriretur, nihil nisi e duorum sententia Medicorum in unum coniurante deliberaretur. Quare Aloisio Aiello viro sane artis medicae perito, ac de Neapolitana Societate optime merito adiunctum ipse voluit Medicum civitatis principem Raphaëlem Capobiancum, hominem iis doctrinae, iudicii, lenitatis, urbanitatis, munditiei, rectae elocutionis, summaeque praestantiae dotibus praeditum, quas in Medico requirit Hippocrates (1). De quo quidem eo libentius honestam heic volui factam mentionem, quod sciam, Maneram pluries eius peritia, ac sollicitudine ex illo ipso morbo convaluisse, cuius tandem violentia victus debuit occumbere. Et Manera quidem ipse beneficii memor saepe fatebatur, Doctori se Capobianco secundum Deum vitam debere; quod is suis curis mortem sibi non semel impendentem retardasset. Sed ut ad rem revertamur, multus lectori fortasse visus fuero in iis memorandis, quae Manera pro aegrotis Sodalibus iuvandis agenda sibi putabat, et re agebat ipsa. Verum me digressionis non poenitet. Fateor enim Sodalium aegrotorum curationem mihi semper in caris Societatis nostrae rebus fuisse carissimam. Quare cum hominem habuerim laudandum, qui nihil ea in re desiderandum reliquerit, plurima vero exhibuerit commendanda, non potui me tenere, quin in eximiae suae caritatis laudibus prosequendis essem longiusculus.

Quo ardore studia cuiusvis generis proveheret in Prov. Neap.

XLVIII. Venio nunc ad alterum quod enarrandum caput mihi proposueram, idque de studiis est a Manera Neapolitanae Provinciae Praefecto sedula semper industria provectis. Manera uti homo erat

(1) Περὶ εὐσχημοσύνης n. V.

doctus, ita et in aliis doctrinam amabat. Virtutibus enim, quibus conscius quisquam sibi est se ornari, et alios ornatos cupit, cumque potest ornandos curat. Deinde Manera vere intellexerat, nulla aetate magis Sodalitati nostrae doctrinam cuiusque generis esse necessariam, quam ea qua vivimus; cum plures forte, quam superioribus temporibus sint doctissimi in quavis civitate viri, apud quos Societatis existimatio sit sustinenda. Praesertim cum in tempora inciderimus, quibus licet multa veris falsa admisceantur, cum de humani ingenii progressu fit sermo, tamen tumet non diffiteberis ipse, aetatem hanc nostram in pluribus doctrinarum capitibus multo ulterius, quam anteactas aetates esse progressam, ac plurima adhuc conari, quibus spes est, longius eam esse multo progressuram. Id videbat Manera: quare, quantum poterat, atque ei licebat, factis potius, quam verbis, studia, cuiusmodicumque ea forent, quae cum institutionibus nostris starent, mira provehebat sedulitate. Si de Sodalibus iam provectioribus aetate sermo, iisque, qui instituendae sunt iuventuti, eos Manera sedulo cohortabatur, ut omni doctrinarum genere instructi existimationi consulerent Societatis. Quare volebat, ut eis tempus concederetur, quod studio darent, neque patiebatur, ut hoc eis quovis officiorum genere adimeretur, quod a studiis esset alienum. Optabat ille quidem, ut Professores, cum possent, vel excipiendis confessionibus, vel vinctis in carceribus visitandis, vel concionibus ad populum habendis aliquid temporis commodarent: verum nolebat tamen, ut studiis quod deberetur, detraherent. Eis quoque animos faciebat maximos, excitabatque ad opera in qualibet

facultate componenda, eaque in iuventutis commodum typis vulganda. Si quis vero suis responderet cohortationibus, nil ipse non moliebatur, ut opera, cuiusvis essent studiorum generis, eventum sortirentur optatum. Non enim Manera ex iis erat, qui unam illam videntur magni semper facere, atque unice fere deperire facultatem, qua valere se aliquid putant. Is enim facultates, quaecumque essent illae omnes, omniaque litteraturae capita uno veluti amore complectebatur. Neque quod Mathesi esses addictus, Theologus homo ac litteratus tibi favebat minus. Immo ab homine, qui facultati tuae perdite fuisset deditus, favorem fortasse ampliorem frustra sperasses.

Praesertim in domestica iuventute.

XLIX. Sed illud, in quo magna quidem mihi copia offertur dicendi, studium certe est, quo Manera ad omne doctrinarum genus incredibili sane sollertia, atque industria domesticam stimulare iuventutem solebat. Neque facere aliter, ut opinor, poterat. Homo enim, qui quantum sciret, totum pene favori debere se noverat, quem ipsi iuniori, atque adhuc in spem succrescenti praestiterat Andresius, qui poterat non bene simul novisse, nihil fere posse ab viro sperari, cui iuveni non arriserit favor? Nihil hoc certius illi erat. Solebat enim iuvenes tenerrimis quibusque plantulis comparare, queis si humorem neges, brevi sine dubio illae arescent: quemque ex iis certo tibi pollicebaris fructum, certo eum tua incuria amittis. Quodque is de favore iuvenibus praestando sentiebat, aliorum animis inculcatum volebat maxime. Saepe Andresii memorabat exempla, atque ab Andresio ad alios plerosque insignes vetustae Societatis homines progressus ostendebat, illos semper

domesticam iuventutem tamquam Societatis spem habuisse, atque in ea illud doctorum hominum semen propagandum curasse, quod ad ultimae usque Sodalitatis dissolutionem nunquam germinare non destitit. Quin et addebat, nulli favorem sua sententia magis esse necessarium, quam Sodalitatis nostrae iuventuti, quae a profanis saeculi plausibus aliena nihil, si hominem spectes, humani habet stimuli ad studia alacri animo persequenda. Qui tamen stimulus quantum in rebus humanis animo addat alacritatis, vix quid sapis, si per te non perspicis. Id quoque volebat Manera, ut mature discerent sentire iuvenes. Non poterit enim, aiebat, favere olim iuventuti qui iuvenis, quid fuerit favor, nunquam didicerit.

L. Qui in nostram studiosam iuventutem ita erat animatus, quid ad eam stimulandam non tentaret, vix scires. Mature providebat, ut qui eam instituere deberent Professores, omnes pene in ea, quam profiterentur, facultate numeros haberent, licet quandoque pro rerum necessitate non minimum hoc ipsi staret. Studiosis vero iuvenibus negatum quasi nihil volebat, quod studiis iuvandis foret idoneum. Bibliotheculas cuiusvis classis proprias libris instructas volebat omnibus non modo necessariis, sed et quantum fieri posset, utilibus. Novisse enim sciverat, multos esse libros, quos si in praesentia utiles tantum tibi esse credas, brevi eosdem ipsos futuros tibi necessarios sentias. Quare saepe inter annum a Sodalibus, qui essent a bibliotheculis, percontabatur sollicite, si qui desiderarentur libri vel necessarii, vel perutiles, qui forent comparandi; ac re audita, et iudicata, statim quos crederet opportunos iubebat comparari.

Hancomnibus instrumentis studio opportunis iuvat.

Neque bibliotheculis solum providebat; sed si quis pro studiis, quibus privatam daret operam, libris egeret singularibus, horum Manera non erat avarus; neque semel mihi aliisque comparavit libros, quos nunquam me aliosque habituros dixisses. Quod autem is faciebat, et ab aliis factitatum volebat Moderatoribus. Cumque Collegia viseret Provinciae, Bibliothecasque inspectaret, nunquam non iubebat, ut librorum supellex adaugeretur. Quos vero libros aut libellos is dono accepisset, eos iuvenum bibliotheculis distribuebat; ea tamen conditione, ut aliquid ii vel prorsa, vel versa scriberent oratione, quod ipsi quasi in actionem gratiarum offerrent. Et factum aliquando, ut pro horum munusculorum occasione non incomptae concinnarentur lucubratiunculae, quae in coetu academico inter domesticos parietes coacto potuerint a iuvenibus ad seniores Sodales recitari.

Domestici conventus academici.

LI. Atque heic cum de domesticis hisce conventibus academicis inciderit sermo, nolo praeterire, saepe eum iuventutem nostram ad illos stimulasse frequentandos. Argumenta ipse proponebat, in quae quisque, quod liberet, componeret: plerumque illa petebat e nostris historiis, ut, domesticis exemplis iuventuti propositis, ea alacrius ad illa excitaretur imitanda. Neque unquam obliviscar, hac eum de causa proposuisse olim nobis celebrandas privatis carminibus laudes Sodalium, qui in Provincia Neapolitana ab orta Societate ad eam deletam tum litteris, tum Religione floruerant. Lucubrationes vero ipse per se volebat cognoscere, ac iudicare; neque ex eo severa minus utebatur censura, quod privatim recitarentur. Immo ex iis, quid cuiusque humeri valerent, quidve ferre

recusarent, quasi intendebat arbitrari, ut ea, cum opus esset, notitia uteretur. Qui profecto finis iuvenibus non incognitus calcar addebat currentibus, neque eas minori elucubrare studebant sedulitate, quam si typis essent committendae. Recitatio autem, uti et lucubratio, sicuti sua non carebat censura, ita et praemio non destituebatur suo. Academicis enim iuvenibus ad cubiculum accitis, atque in orbem dispositis praemiola, quae ad studia perutilia forent, sua distribuebat manu; sed inter distribuendum unicuique indicabat, quid in eius lucubratione probasset, quidve alias vitandum esse illi crederet scribenti, quid recitanti. Nonne heic Andresii vides imitatorem (1)?

Iunioribus Sodalibus tempus in studiis, et consilium datum vult.

LII. Sed illuc revertor. Nil proderis iuventuti, si libros des, tempus autem, et consilium neges. Utrumque Manera iuvenibus dabat largiter. Quare si quotidiana religiosae vitae officia excipias, iuvenes studiis addictos iis omnibus volebat muniis exemptos, quae cum studiis nihil habent commune. Nulla iuvenis querela ipsi videbatur illa aequior, qua quis tempus suis negatum studiis esse quereretur. Si quid vero cui extra committeret, extraordinarium quoque illi tempus concessum volebat, ne quid detrimenti in studiis caperet ordinariis. Ad consilium vero quod spectat, eo indigere quam maxime iuventutem videbat. Verum eam tamen nisi consilio seniorum Sodalium, eorumque omni fere disciplina instructorum non permittebat. Si vero eum adires consilium ab ipso petiturus, libentissimus dabat. Te primum interrogabat, quodnam studiorum genus fueris antehac sectatus alacrius, in quodque inclinares lubentius; tuisque dein-

(1) Recole quae narravimus pag. 9.

de responsis consilia accommodabat sua, teque eo dirigebat, quo vidisset facilius te, atque utilius perventurum. Indicabat quibus posses ad σκοπὸν aptis uti instrumentis: libros quos consuleres utiliter: Magistros quos adires cum fructu: res quas cum emolumento adnotares. Uno verbo ut rem expediam, plus quidem utilitatis ex eius percipiebas consilio, quam e propria annorum plurium, atque erratorum experientia. Si quis vero iuvenis novi aliquid in studiis vellet conari, non eum illico ut superbum, aut audacem traducebat: verum audito iuvenis consilio, si id ipsi non improbandum, neque spernendum videretur, non modo illum ab inito non revocabat consilio, sed et ad illud incitabat. Noverat enim Manera probe discernere quae superbiae essent, et quae ingenii: quare illam fraenare curabat, hoc non opprimere. Cum vero aliquid cuiquam recensendum committeret, nullam recipiebat censuram nisi multis probatam rationibus. Vix enim censoris auctoritate fidere videbatur, licet eum faceret plurimi. Itaque factum saepe, ut lucubrationibus ipsis censura probationibus instructa suis prolixior evaderet. In re praesertim litteraria, si ei dixisses: vocula haec sermonis puritatem non sapit, isthaec locutio latina non est, aliaque id genus, continuo a te petebat, queis fretus argumentis id pronuntiares: et quaedam aliquando mutua instituebatur contentio, quousque res in oculis poneretur. Cumque ego olim essem, ut iuvenibus usuvenit, in asserendo facilior, acriter me reprehendit, inquiens, nihil se existimare difficilius, cum de linguarum notitia agitur, quam affirmato definire, utrum vox quaepiam aut locutio pura sit, an minus.

LIII. Dum animo illuc Manera totus intenderet, ut domestica quaeque studia fervérent, is consilio quidem uno, unaque opera publicis externae iuventutis studiis prospiciebat. Id quod non est tibi ut probem: nam facile vides. Cum enim nostra Sodalitas in principibus princeps illud habeat munus, quo iuventuti bonis disciplinis omnibus instituendae vacet, quicquid fere in Sodalibus doctrinae est, id in iuventutis commodum derivatur. Immo et ipse studiorum fervor quasi in iuvenes ipsos transmittitur. Quod ita verum iudico, ut ferme ab eo in studiis fervore, qui in iuventute scholas nostras frequentante deprehenditur, de domestico coniecturam facere vix diffiderem. Fieri enim non potest, ut qui studia peramet, studiosos quoque alios reddere non curet. Confessa quidem res est, atque apud omnes manifesta, Magistros qui studiorum sint amantes, studiorum quoque amorem discipulorum animis sensim instillare. Sunt enim adolescentulorum animi cerae non absimiles molli, in quos Magister non alienam, sed suam necopinans inducit formam. Id ego sum expertus ipse, cum iuventutem litteris instituerem. Pluries enim adolescentium animos ab nugis potui revocare, atque ad studia etiam severa convertere, non Orbilium agens plagosum, (hanc enim artem cum iuventute exercere nondum didici) sed exemplo potius, quam verbis eam ad amorem studiorum cohortatus.

Pari ardore externam ad studia excitat iuventutem.

LIV. Regente igitur Manera Neapolitanae Societatis Provinciam, ac domestica studia ea, qua diximus, sedulitate provehente, Gymnasia, Academiae, Scholae studiis omnibus florebant. In Theologicis, Philosophicis, ac Mathematicis disciplinis

Quantum eo Praefecto studia omnia in scholis publicis fervèrent.

fervebat studiorum ardor. Mature curavit Manera, ut in hisce facultatibus persequendis discipuli destinatis uterentur, iisque accommodis institutionibus: nolebat enim, et sapienter quidem, ut adolescentes hac illac, hoc lectitantes atque illud, semper tentabundi vagarentur. Quare institutiones tum Philosophiae, tum Matheseos, quas harum facultatum Professores conscripserant, typis mandandas studuit. Quo sane consilio iuventutis utilitati prospicere melius profecto non poterat. Quae vero industriae adiumenta sibi adscisceret, quae ad studia severiorum disciplinarum provehenda forent aptissima, nemo fortasse, quam ipse melius noverat, qui tot iampridem annos Romae fuerat studiis regundis Praefectus. Si qua haberetur inter mensem, uti mos est, disputatiuncula, ei semper volebat interesse, suaque praesentia non condecorare modo academicum illum coetum, sed et iuvenes excitare laudibus, eosque ad maiora usque audenda vehementer inflamnare. Quae autem sub anni scholastici exitum faceret, ut adolescentes, si qui essent experrectioris ingenii, atque ad apte disceptandum exercitatiores, publicis committerentur disputationibus, Professores noverunt. Id ego dicam unum, annum cessisse nullum, quo ad confertissimum litteratorum hominum conventum aliae de aliis disciplinis non habitae disputationes fuerint, eaeque non minimum placuerint. Quas vero disputatoribus adolescentibus laudes impertiret Manera, quosque eis faceret animos non verbis modo, sed praemiis, tu coniicito per te.

Exercitationes publicae.

Dialogi philosophici.

LV. At haec forte quibusdam videbuntur communia. Habeo tamen quid in huiusmodi exercitationibus narrem, quod uni Manerae tribuas. Is

viderat, illud disputandi genus, quod subrustica quadam severitate indutum a *forma* nescio qua appellitari consuevit, aliquibus huiusce aetatis ingeniis liberalioribus atque politioribus minus arridere. Sunt enim quibus tum veritatis adspectus placet, cum gravis ille sit, sed non severus, et sin minus pulcher, at non deformis tamen. Neque indignaberis. Tritum est adagium: *trahit sua quemque voluptas*. Quare Manera aliud disputandi genus induxit, amoenius quidem illud ac venustius, sed vi tamen non carens sua. Auctor ergo fuit philosophicae disciplinae Professori, ut opportunum quoddam e Philosophiae placitis optaret caput, idque italo idiomate in dialogi modum exponeret, expositumque daret recitandum more academico tribus quatuorve adolescentibus ad gestum docte institutis. Quam sibi Manera expectationem ex hoc disputationis genere fecerat, exitus profecto cumulatissime complevit. Dialogi enim philosophici plures perpetuos annos affabre elaborati ab clarissimo Sodali Matthaeo Liberatore, atque ab strenuis adolescentibus optime pronuntiati, mirum dictu est, quantum doctis eruditisque omnibus quibusque viris, qui frequentissimi semper adfuerunt, probarentur (1).

Novae institutae scholae.

LVI. Neque his Manerae sollicitudo se continuit curis in studiis severioribus provehendis. Plures namque scholas, alias in aliis Provinciae Collegiis, voluit institutas, queis non sine detrimento

(1) Hortatu, immo rogatu plurimorum hominum doctissimorum, dialogi, quos memoravimus, in vulgus fuerunt emissi Neapoli typis Tramaterianis; neque minus cum lecti, quam cum auditi fuerant, placuerunt. Eis Auctor hos fecerat titulos: *Il Panteismo Trascendentale — 1844. Del dritto sulla vita — 1845. Il Progresso — 1846.*

studiosa carebat iuventus. Is itaque in Collegio Beneventano, quod secundum a Neapolitano dices, si urbis dignitatem, atque auditorum frequentiam spectes, Iuris Canonici institutiones tradendas iussit. In Neapolitano autem non Ius modo Canonicum edocendum, quod desiderabatur, sed et Historiam Ecclesiasticam enarrandam, et Sacrae explicanda Eloquentiae praecepta clericali curavit iuventuti. Nec divinis modo disciplinis consultum voluit. Praecepit enim, ut qui duos iam annos Philosophiae fuissent continenter operati, ii e Gymnasio prius non discederent, quam quae fuerint recentiorum Philosophorum methodi, quas vocitant *Systemata*, et historice discerent, et critice examinarent. Atque hac de causa illius aperuit disciplinae scholam, quam a Philosophia *Historico-critica* voluerunt nuncupatam.

Quantum litterarum studia proveheret.

LVII. Verum ne suspiceris, Maneram ita animum ad severiores provehendas disciplinas applicuisse, ut litteraria studia languescere pateretur. Id profecto nunquam ab homine timebis, qui litteris olim fuerit quam maxime delectatus. Ex eius enim animo nunquam, quantum coneris, litterarum amorem exterere possis. Re quidem vera ubi Franciscus Provinciae Praefectus fuit renuntiatus, atque adolescentuli, qui litteris student, a Magistris audivere, quem benignissimum sortiti essent studiorum patronum, ii quasi reviviscere visi sunt. Cumque ego olim meis manifestassem discipulis, qui humanioribus litteris operam dabant, qualem se in Taurinis iuventuti praestitisset Manera, tales sumpsere animos, ut ardua quaeque in litteris tentare iam se posse, eo Mecoenate, sibi pollicerentur. Profecto graecae, latinae, atque i-

talicae litterae provectae ab homine illis bene exculto mirum in modum in Collegiorum scholis omnibus florescebant.

LVIII. Quod ad graecas attinet, praeterquam quod acriori quo posset incitamento Magistros extimulabat, ut illas in scholis proveherent, quippe quae sint omnium fere pulcherrimarum litterarum procreatrices, voluit et ludum Philologiae graecae proprium aperire, quem Rhetorices auditores quotidie frequentarent, eamque peculiarem litteraturae graecae operam navarent, ex qua maxima in reliquas litteraturae partes commoda derivantur. Immo et Philologiae graecae ludo scholam Α'ρχαιολογίας voluit adiectam, quam ipse primus in Collegio Neapolitano instituit, ut et Gymnasii dignitati consuleret, atque utilitati iuvenum studiosorum prospiceret in urbe versantium, quae vetustis tum graecis tum latinis nedum abundat, sed scatet monumentis. Non minima vero putabis specimina, quae de graecitatis studio adolescentuli praesertim Rhetorices studiosi sub anni exitum exhibere identidem soliti fuere, Manera eos excitante. Ut enim alia omittam, nunquam defuere in Neapolitano Collegio, qui solidum Homeri poëma et italice vertendum ex tempore, et ad critices normam retexendum illud atque expendendum audacter susciperent. Alii quoque alibi idem vel in Demosthenicas, vel in Isocrateas orationes praestare non dubitarunt. Immo et in nostro Collegio Salentino, quod in extrema est Apulia situm, adfuit olim adolescentulus,

Quo fervore ad studia graecitatis iuvenes excitaret.

Aperit Α'ρχαιολογίας ludum.

Pindarici fontis qui non expalluit haustus,

cum Pindarum non solum facillime commentare-

tur, verum et eius carmina non pueriliter imitaretur.

Mirum in modum latinis favet litteris.

LIX. De latinis vero litteris ab Manera provectis malim tacere, quam pauca dicere. Vix enim quid dicerem si narrarem, Maneram ad earum studium ita iuvenum animos incendisse, ut illi, qui hisce praesertim temporibus ab latinitate quasi abhorrere videntur, maximi eam facere, ac vehementi prosequi coeperint studio. Manera patrocinium latinitatis sibi suscepisse visus est. Cupiebat, ut studiosi latinarum litterarum discipuli mature assuescerent internoscere, ac probe discernere propriam cuiuscuius vocis vim, ac potestatem. Tenebat enim, hanc notitiam sane difficillimam eam esse, quae venustum illum latinitatis colorem scriptionibus inducit, quo is distingui stylus debet, qui latinus dici velit. Neque cessabat Praeceptores monere, ut in eo omnes intenderent nervos, ut discipulis radices vocum, differentiasque verborum enuclearent, eosque docerent modum, quo modo ipsi per se idem praestarent. Nec semel obtigit, ut is discipulos hac in re tentaret. Si qui enim ipsum adirent lucubratiunculas ei latinas oblaturi, multa eos de vocum potestate, de purioribus latinitatis locutionibus interrogabat. Cum vero latinorum Auctorum opera explanarentur, vel dictata, uti fit, in scholis proponerentur vernacula latine vertenda, illud ab Magistris volebat imprimis obtinere, ut omni, qua possent, opera pro suis quisque viribus conarentur eum discipulorum animis instillare latinitatis sincerae saporem, qui aureum aevum ab ceteris aetatibus tantopere discriminat. Hac de causa optabat, ut adolescentuli mature discerent magni facere Romanarum antiquitatum noti-

Ad eas provehendas Antiquitatum Romanarum studia in scholis fovet

tiam, qua nihil esse aptius ad latinas litteras brevi, facile, ac probe addiscendas credebat. Quare iussit, ut in humaniorum litterarum ludis peculiaris haberetur Romanarum antiquitatum ratio. Aiebat enim illas clavi posse non incommode comparari, qua latinitatis totius thesauri recludi facillime queant. Et recte vero. Nunquam enim, ut ego opinor, neque si sapis tu aliter opinaberis, nunquam is propriam absolutamque latinitatis adsequetur notitiam, qui latinae antiquitatis res vix primoribus, ut aiunt, labris attigit. Quo enim pacto tibimet persuadebis, probe te auctorum intellexisse opera, qui tertio quoque verbo ad mores, ad leges, ad instituta, ad ritus vel superiorum, vel eorum, quibus vixere, temporum tuam revocant mentem? Id ego velim Praeceptorum omnium animis penitus inculcatum, quod saepe meo inculcabat Manera, ut tantum scilicet existimarem discipulos in latinis profecisse litteris, quantum eos in latinarum antiquitatum cognitione viderem profecisse.

LX. Cum vero latinae antiquitatis studia non minimam facessant adolescentulis difficultatem, modum invenit Manera aptissimum, quo illa non tantum absque taedio, ac molestia, sed et multa cum delectationis voluptate, maximaque cum utilitate erudirentur. Utque excogitationis sollertissimae, atque homine doctissimo dignae inventionem probes, rem paullo altius repetam. Manera cum Andresianus esset alumnus, ac coetus illos frequentaret academicos, quos Rosinius Episcopus Puteolanus in suo Seminario identidem cogebat, ut ante diximus, saepe fuerat venustissimarum Comoediarum spectator, quas per baccanales ferias doctus Praesul tum

Ad id actionem Comoediarum instituit latinarum.

ad animorum relaxationem, tum ad litterariam utilitatem suis ephebeis alumnis agendas dabat (1). Harum igitur fabularum latinarum memor Manera, quarum actione, ac spectatione animi antiquarum rerum notitiam necopinantes multa cum iucunditate discunt, auctor mihi fuit, qui easdem olim in Puteolano Seminario spectaveram, ut manum operi admoverem, si forte huiusmodi quid possem tentare, quod adolescentulis in scena agendum darem. Eius desiderio adnisus sum pro virili obsequi, atque anno MDCCCXLV agendam dedi lectissimis adolescentulis, atque ad scenam sollerter institutis primam e Plautinis quas scripsi Comoediis, romano quantum licuit more indutam, quam *Minerval* nuncupaveram. Haec fabula cum acta primo ac secundo non displicuerit doctis plerisque viris (2), quorum multi ex aliis Italiae regionibus Neapolim per eum annum pro septimi Italorum Sapientum conventus occasione convenerant, animos sumpsi, alteramque anno MDCCCXLVI Romanam Comoediam dedi spectandam, quam *Aleariam* inscripseram. Utrum haec quoque fabula quater spectata non ceciderit, sed recto steterit talo, heic narrare meum esse non debet (3). Fortasse tu per temet coniicies, si quando plurium tum amicorum, tum aliorum doctorum hominum postulationibus fieri satis poterit. Dicerem tamen, quantum Manerae

(1) Confer latinum commentarium de vita Rosinii, quem supra memoravimus, nec non opusculum, cui titulus — *Elogio storico di Mons. Rosini Vescovo di Pozzuoli. Napoli dalla Stamperia reale 1841* — quod exaravit Prosper de Rosa doctus Eques Neapolitanus, Rosinii familiarissimus.

(2) Lege, si lubet, Neapolitanas Ephemeridas an. MDCCCXLV. mens. Nov.

(3) Confer, nisi negotium, Diarium regni utriusque Siciliae, d. v. Oct. an. MDCCCXLVI.

consilium et auctoritas hac in re mihi profuerit, nisi de me ipso simul esset dicendum, quod prorsus non est necesse. *Itaque*, quod de Lucullo Tullius et ego heic usurpans, *privabo illum potius debito testimonio, quam id cum mea laude communicem* (1).

Qua fuerit iuvenibus utilitate hoc exercitationis genus.

LXI. Verum quod totum Manerae tribuere debes, non est cur taceam. Opprimerem veritatem, nisi aliquid dicerem de utilitate, quam ex isthoc exercitationis genere ab Manera inducto iuventus studiosa percepit. Non me latet, fuisse vetustae Sodalitatis nostrae morem, ut quotannis adolescentulis scholas frequentantibus fabulae latinae darentur agendae (2). Noverant enim doctissimi, ac sapientissimi illi Maiores nostri, quot quantaque ex huiusce exercitationis genere in iuventutem commoda derivarentur. Neque ii noverant tantum. Illud enim Ecclesiae Gallicanae lumen Bossuetus hanc Iesuitarum consuetudinem perpendens, eam non potuit non vehementer probare (3). Immo, quod nunquam profecto sperasses, ille ipse Philosophiae instaurator Baconus a Verulamio spectacula scenica a Iesuitis studiosae iuventuti permissa quam maxime commendabat, ob utilitates sane plurimas, quas inde illam perceptum ire aiebat (4). Non i-

(1) Acad. prior. lib. II. Cap. I.

(2) Vide sis historiae Cretinavii—Iolyi saepe memoratae vol. IV. cap. III. pag. 227.

(3) Consule, si vacat, *Maximes et Réflexions sur la Comédie* in vol. XXXVII. pag. 603. operum omnium edit. paris.

(4) Digna sunt, quae heic legas, verba Baconi: *Non abs re fuerit notare facultates vel mediocres, si in magnos viros aut res magnas inciderint, graves et insignes interdum producere effectus. Eius rei ponemus exemplum memorabile: quod eo magis adducimus, quia Iesuitae eamdem disciplinam non videntur aspernari, sano, ut nobis videtur, iudicio. Atque est res, quae si sit professoria, infamis est; verum disciplinaria facta, ex optimis est. Intelligimus autem*

gnotae quidem sunt latinae tragoediae Stephonii, Caussini, Ruaei, Carpani, comoediaeque Dusygni, aliorumque Sodalium, quae tum Romae, tum in Galliis saeculo XVII ac XVIII decies repetitae placuerunt. Tamen non celabo quod sentio. Manera mihi visus est melius consuluisse iuventutis commodo. Illi enim latinas dedere fabulas, sed non romanas. Iuventus non romanae antiquitatis mores discebat, aut ritus, sed unam latinitatem; si discebat quidem: difficillime enim quae romana non sunt, cum latina facis, romana civitate donantur. Quod si romana tractes, non tu linguae, sed lingua tibi serviet. Id Manera vidit, immo persensit, noluitque agendas iuventuti alias dari fabulas nisi romanas. His enim nihil esse aptius existimabat tum ad illum venustae latinitatis saporem animis imbuendum, tum, quod ipsi caput erat, ad antiquitatis romanae eruditionem rite adsequendam. Quod enim, aiebat, vix multos post studiorum annos discipuli in scholis aegerrime discunt, id in ludo scenico brevi non discunt modo, sed agunt. Nec fallebatur. Suam enim opinionem cumulatissime probavit effectus. Maxima afficiebatur voluptate Manera, cum videret, adolescentulos per hanc exercitationem eo devenire, ut de ritibus, de disciplina, de moribus, de legibus, de factis illustribus Romanorum apte disserere possent. Laetabatur vehementer, cum audiret adolescentulum de Romana Comoedia docte loquentem, eaque sive Praetextata, sive Tabernaria, sive Atellana, sive Pla-

Actionem theatralem: *quippe quae memoriam roborat, vocis, et pronuntiationis tonum, atque efficaciam temperat; vultum, et gestum ad decorum componit, fiduciam non parvam conciliat; denique oculis hominum iuvenes assuefacit.* De Augm. Scient. lib. VI. cap. IV.

nipedia. Iucundissimum ipsi accidebat hunc de prologo, de actibus, de scenis, de metris comicis disputantem audire; illum de theatro, deque eius scena, proscenio, pulpito, orchestra, thymele, postscenio, necnon de sedilibus, de cuneis, de praecinctionibus, de porticibus dissertantem. Suae inventionis utilitatem recognoscebat Manera in discipulis dicentibus de scena versatili vel ductili, de aulaeis, eorumque demissione, subductione, complicatione, de aris in scena collocatis, de signis, de machinis, deque harum speciebus, ac de omni, quo Romani utebantur, choragio. Gratum ipsi erat, nec tibi forte esset iniucundum sermonem ab adolescentulo accipere de personis tragicis, de comicis, de mimicis, de tritonicis, de pantomimicis. Sibi gratulabatur, cum videret, se fuisse auctorem, ut adolescentes adhuc dum impuberes docte de re agerent vestiaria; non inconcinne loquerentur de togis, quibus in agendis fabulis induebantur; apte de illarum gestatione sermocinarentur: de tunicis dicerent, earumque speciebus, de subligaculis, de soccis, aliisque innumerabilibus, quae vix ab homine praestari possunt, qui libris palluerit, ac studiis insenuerit. At isthaec utilitas litteraria licet tanta, Manerae tamen multo minima erat prae illa, quam is maximam existimabat; ea scilicet, qua iuvenes fabularum romanarum actores vel spectatores dignitatem illam gravitatemque latinam sensim necopinantes induerent, eorumque animi ab nugis iuvenilibus ad seria converterentur.

LXII. Cum hactenus tibi Maneram exhibuerim in latinitate provehenda studiosissimum, fortasse credidisti, illum latinis litteris prius consuluisse

Studio non impari italis favet litteris.

ac potius, quam italicis. Si id velis credere, non repugnabo, cum mihi mens non sit rem definiendi. Dicam tamen, Manerae animo alte illud fuisse insculptum, quod Iuvenalis aetate reprehendebat sua, dum caneret

. . . . . . *Omnia Graece*,
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine (1).

Quae vatis satyrici verba in eos Manera putabat bellissime quadrare, qui tantam dant talemque operam litteris latinis, ut prorsus negligant patrias. Si enim illas scire decorum est, has ignorare pudendum. Nimis longus essem, si omnia viritim ea persequi vellem, quae Manera ad italarum litterarum studium provehendum iussit curari. Possem tamen apud te, quem reliquam huiusce vitae partem legisse credo, uno prorsus verbo rem expedire, si tibi dicerem: animo reputa, quis in Taurinis fuerit Manera. Verum ne rem hanc intactam prorsus relinquam, iuverit heic aliqua vellicatim, et quasi saltuatim adnotare. Manera igitur nihil Magistris commendabat vehementius, quam ut curarent sedulo, ut vernaculae linguae studio quotidiana opera in scholis daretur. Postulabat non sine aliqua severitate, ut quae vel de Graecis verterentur, vel de Latinis, sermonem, quantum fieri posset, saperent purgatissimum. Si in scholas descenderet visitaturus discipulos, quod primum faciebat, illud erat, ut eos in vernaculae linguae notitia tentaret: et facillime homo sagax odorabatur, si quid hac in studiorum parte negligeretur. Iussit, ut saepe inter hebdomadam discipulis vel narratiunculae, vel epistolae, vel descriptiones,

(1) Sat. VI. v. 187 et 188.

vel declamationes italicae darentur lucubrandae. Voluit, ut in iis, qui ab Rhetorices auditoribus celebrari identidem academici solent conventus, multus esset locus lucubrationibus italicis datus. Curavit etiam, ut rhetorici disciputi italicae poëseos exercitationibus non parum commodarent temporis. Quare accommodas concinnari iussit συλλόγας, quae lectissima quaedam illustrissimorum vatum italorum referrent poëmata, quibus opportune atque utiliter iuventus uti posset studiosa. Dantis autem Aligherii studium quanta potuit contentione provexit. Verum tu id expectabas ab homine, qui unum fere Dantem uti verum admirabatur Poëtam. Manera iuvenes exstimulante ad scrutandos Aligheriani poëmatis thesauros, factum est, ut in pluribus Neapolitanae Provinciae Collegiis, anno studiorum exeunte, plerique lecti adolescentes voluerint ingenii sui facere periculum in explananda *Divina Comoedia*, eiusque abditis sensibus explicandis, ac linguae patriae veneribus distinguendis. Ut paucis omnia, quae ad italarum litterarum studium spectant, complectar, Manera in iis provehendis illud sibi visus est praestituere, ut eruditio quaevis sive graecitatis sive latinitatis tum vernaculae linguae cognitioni absolvendae, tum italico stylo informando serviret. Phaleratus enim, aiebat, esse poterit, comptulus, et politulus eius stylus, qui graece nihil, latine autem vix scit, tamen nervosus, gravis, illustris erit nunquam. Atque in id addebat nullum fere fuisse scriptorem italum, qui italice scripsisse vere dici posset, quique graece, vel sin minus graece, at latine nesciverit: immo eos plus nervorum in patrias transfudisse scriptiones, qui has vel graecitate corro-

boraverint, vel latinitate. Quod profecto quo in loco italas litteras esse vellet Manera, facile ostendit. Quanti enim aliquid fiat, ex eo distinguitur facile, quod nobilia illustriaque ad illud obtinendum adhiberi velint instrumenta. Heic sane illa forent addenda, quae egerit Manera, ut studia tum Geographiae, tum patriae historiae ferverent in Gymnasiis. Sed brevis commentarii angustiae me cogunt ad tertium, quod pollicitus sum caput, transire, quodque est de mira tum sollertia, tum sollicitudine, qua usus Manera est in tuendo amplificandoque Societatis nomine.

Qua sedulitate bonum Soc. nomen tueri studuerit.

LXIII. Et quoniam brevis esse laboro, prorsus tacebo de temporum difficultate, quibus Manera id praestare debuerit. In eam enim tempestatem incidimus, qua plurimis non industrium modo est, sed gloriosum nostram odisse Sodalitatem odio plus quam Vatiniano. Frustra haec narrarem tibi, qui ea et scis, et spectas. Neque est, cur narrem posteris: hi enim casus omnes temporum nostrorum non modo docebuntur ex historiis, sed et eos forte ad annos plurimos erunt ploraturi. Quare ad rem propositam venio. Nimiopere curabat Manera, ut quivis e Sodalitate bonum Societatis nomen hisce praesertim difficillimis temporibus tuendum in se apud eos curaret, quibuscum pro officiis, quae obiret, ageret. Aiebat enim, et merito quidem, unum e nobis quemque quasi personam totius gerere Sodalitatis, cum soleant homines ab uno de omnibus sententiam ferre, atque crimen unius tribuere omnibus. Quod adeo verum, nescio quo fato, semper fuit, ut si qua in re peccetur, vix audiri eius soleat nomen, qui deliquerit. Nomen illius nihil pensi habetur,

modo sciatur, cuius ille Sodalitatis sit membrum. Haec in ore est omni populo: haec peccasse venditatur. Quare delicta, vitia, labeculae, quae tandem cumque eae sint, communia fiunt: ac facilius invenies, qui si quid boni egeris, tibi illud uni tribuat, quam si quid mali patraveris: quasi Sodalitas foecunda mali parens esse debeat semper, nunquam boni. Adeo scilicet illi de tuo sunt bono nomine solliciti, ut bonum tibi adscribant, malum Sodalitati. Cum haec ita se habeant, ac semper ita se habuerint, profecto non miraberis, si Maneram quasi nimium hac in re fuisse videris. Noverat enim damnum ingens, quod ex depressa Sodalitatis existimatione in proximorum animos derivari solet. Is igitur, si quid in publicum produci deberet, per se illud volebat recognoscere. Nunquam prope factum est, ut quae opera ederentur in lucem, ea ipse semel bisve non ante legeret. Quod cum pro munere sane laboriosissimo, quod gerebat, praestare non posset interdiu, noctu faciebat, somnum ad lassitudinem usque oculorum sibi denegans. Neque id in operibus duntaxat recensendis praestabat, quae in vulgus essent emittendae, verum et in ipsis lucubrationibus, cuiusque essent generis, quae publice forent recitandae. Si quando id per se, quod abesset, facere non posset, alios destinabat criticos, qui censura non minus acri de operibus iudicarent. Vigilabat vero sedulo, ne quis cuipiam Sodali quavis obtrectaret de caussa. Quod si id apud externum hominem acciderent, maxima afficiebatur aegritudine, neque obtrectatorem incastigatum dimittebat. Nimio enim turpe est, aiebat, Sodalem Sodali obtrectare. Quare volebat, ut si quid laudari non posset, pruden-

Ad id curam nominis cuiusque Socii habebat maximam.

ti silentio praeteriretur, vel excusatione aliqua extenuaretur. Atque ita is quidem se gerebat, cum de Socio quopiam apud externos homines licet sui familiarissimos loqueretur. Pessimam illam existimabat familiaritatem, quae confidentiam creat obtrectandi. Si Maneram de Sodali aliquo ad externos homines loquentem audisses, facile putasses, eum fere de viro Sodalitatis principe laudes contexere. Utque sine veritatis discrimine id praestaret, mature homo sollers, et sagax dignoscere nitebatur, in quo quis praecelleret, ut exinde pro occasione argumentum laudationis apte duceret. Obtrectatoribus autem resistebat quasi contentiose, licet illud attenderet quam maxime, ut ex obtrectatorum ore, si quid veri sublateret, prudenter exculperet. Adeo Sodalitatis existimationi per Socios quosque volebat consultum, ut hac in re vel minima quaeque notaret. Leve tibi fortasse quod dicam videbitur: verum quod leve est, si dicatur in loco, maximum fit. Vidit olim nescio quem e nostris iunioribus, qui per urbem inambulans se totus incernebat, atque manus hac illac iactabat pendulas. Non potuit se tenere Manera, quin domum regressus non modo illum de re continuo vellet monitum, sed et alios, qui cum illo convivebant, ne quid simile peccarent; inquiens, solere homines vel ex ipso incessu de nobis suas facere coniecturas.

Quo amore complecteretur Sodales, qui Soc. nomen operibus amplificarent.

LXIV. Illud idem Manerae studium in tuenda Sodalitatis existimatione faciebat, ut ipse eos e Sociis diligeret tenerrime, qui eodem acti studio Societatem omni, qua possent, opera illustrare conarentur. Hos ipse germanos Societatis filios esse aiebat, qui amantissimae parentis honorem procurandum conservandumque studerent. Hac de causa si

quis e Sodalibus quippiam efficeret, quod decus Societati conciliaret, is illum statim conveniebat ipsi gratulaturus. Neque semel ad gratam animi testificationem manifestius expromendam non sui modo, sed et communi vel Provinciae vel totius Societatis nomine usus est, ut alicui de re feliciter gesta gratularetur. Quod quidem mirum quantum ad animos cuivis faciendos valeat. Non poterat vero absque laude sincera, atque tenero quodam grati animi sensu de iis loqui Sodalibus, qui vel scriptis operibus, vel aliis factis illustribus Sodalitatis nomen propagarent. Quare si Perronum nominasset, si de Vico, si Piancianium, si Secchium, si Marchium, si Taparellium, si Ravignanum, si Patritium; atque alios, qui hanc primam renatae Societatis infantiam fauste feliciterque sunt ominati, videbatur velle te ad eorum vestigia sectanda vehementer inflammare.

LXV. Bonae autem Societatis existimationi tuendae serviebant amicitiae, quas et inire sollerter, et fovere impense studebat. Si Maneram novisses, mihi heic esset supervacaneum tibi enarrare, quantum is illa sua comitate, atque urbanitate ad iungendas amicitias esset factus. Ubiubi degeret, is in civium animos, qui vel dignitate forent amplissimi, vel nobilitate illustres, vel doctrina clarissimi facile se insinuabat. Appellarem heic plerosque nobilissimos sane viros, qui Maneram vel Romae, vel in Taurinis, vel Neapoli in amici carissimi loco et habuerunt, et coluere, nisi non imprudens dubitatio meam subiret mentem, an per haec tempora non displiceam potius, si eos nominem, quam placeam, si omittam. Quod vero te induxisset facile ad amicitiam semel cum eo initam

Bono Soc. nomini tuendo eius amicitiae serviebant.

perpetuo colendam, singularis eius erat fides. Non semel a Manerae familiaribus illud asseverari auditum, Manera se fideliorem novisse neminem. Profecto Manera noverat probissime nullam stare amicitiam in fide vacillante. Quare arcana amicitiae initia erant ipsi Eleusinia. Si quid, levissimum licet, ei credidisses, quod celatum tamen velles, id quasi indictum putare poteras. Consilia vero cum fide, quam requireret amicitia, committebatur, non cum utilitate vel sua vel aliena. In consiliis enim dandis fidem amico deberi ab se credebat, non aliis. Candide vero, et aperte cum amicis agebat: et si quid olim in amico notatione dignum animadvertisset, amice illud manifestabat. At isthic tamen sincerus animi candor uti prudens erat, ita et verecundus. Quod enim amicitiae est manifestare in loco, id si extra aperias, forte inimicitiam creat. Rem paucis complectar. Manera amicus erat urbanus, facilis, comis, fidus, prudens, candidus, simplex, sincerus, verecundus. Cum talis esset non miraberis, si narrem eum summorum quoque Principum benevolentiam sibi conciliasse. Ecquid enim vetat dicere, Maneram potuisse Neapoli benevolentiam mereri sane nobilissimam tum Augusti Regis Ferdinandi, tum optimae huius Genitricis Elisabethae? Ac postquam e Neapoli Romam venit, nonne immortalis ille Pius, quem D. O. M. excitavit, ut hanc aetatem populis fortunaret, Maneram sua benevolentia complecti dignatus est?

Eius gratus animus in homines bene de Soc. meritos.

LXVI. Sed iam dicendum, quantum Manera se in eos gratum exhibuerit, qui beneficia in Societatem contulerint singularia. Qua in re facta potius praestat enarrare, quam in hominis virtute

verbis amplificanda diu immorari. E multis tamen pauca attingam. Ioannes Iosephus Mascarus Marchio Acerni Societatem, quam vix antea extare cognoverat, sponte sua haeredem reliquit ex asse anno MDCCCXLV. Is uxorem habebat, unicumque filium, huncque optivum, cum nullum e coniuge suscepisset. Utrique moriens assis particulam legaverat. Manera, eo vita functo, primum iussit, ut Mascaro iusta publice sollemniterque fierent; dein voluit, ut a nostris Sacerdotibus singulis quinquies, atque amplius pro illius anima expianda sacra Deo litaretur hostia. Superstiti autem coniugi multo plura concessit, quam quae ei legaverat maritus, quaeque profecto ab affinibus vix potuisset sperare, si forte his obtigisset haereditas. Adoptivum vero Mascari filium Manera in suum suscepit, licet eum aliis, ac praesertim eius parentibus potuisset committere. Manera illum iu nostris Ephebeis collocavit, ibique educandum, ut decebat, curavit. Sed quod praestat, eum plus quam filium amavit, atque ab aliis amari voluit. Tandem Manera tum Mascaro, tum eius coniugi, quae non diu post mariti decessum vita est functa, marmoreum monumentum in suburbano sepulcreto poni, eique elogium sane honorificum inscribi iussit. Neque animum minus gratum prae se Manera tulit in Angelum Antonium Scottium Archiepiscopum Thessalonicensem, qui et in eum adhuc adolescentem privata, ut ante diximus, contulerat beneficia (1), et Societatem nostram maximi fecerat, ac vehementer dilexerat, eique suam moriens legaverat bibliothecam ex testamento. Manera praeter sexcenta sacri-

(1). Lege sis quae exposuimus pag. 5, et seq.

ficia, quae pro eius animi expiatione offerri Deo debebant ex legati conditione, et alia offerenda curavit. Ad haec voluit, ut publicus cogeretur conventus Academicus, atque solemni carminum recitatione Scottii laudes meritaque celebrarentur. Habita igitur haec recitatio mense Iunio anni MDCCCXLV, quae doctorum hominum iudicio maxime fuit probata. Ad intermittendam vero carminum recitationem Xaverius Mercadantes, vir in arte musica per hanc aetatem nulli secundus, funereo carmine in cantum deducto modos moderabatur, quibus ob suavissimum quemdam luctus sensum, quem in suis pressis, ac flebilibus numeris artificiosissime impresserat, tibi iucundas excutiebat lacrimas. Voluit etiam Manera, ut e Sociis aliquis laudationem conscriberet funebrem, eamque publice legeret, ac, si e re esse iudicaretur, typis committeret: id quod cumulate complevit Eloquentiae Professor in Collegio Neapolitano. Quam grati animi testificationem iussit Manera patefieri Neapoli erga Thessalonicensem Archiepiscopum, eam et Beneventi in Ioannem Baptistam Bussium Archiepiscopum eius civitatis, ac S. R. E. Presbyterum Cardinalem iam voluerat an. MDCCCXLIV patefactam. Fuerat Bussius non uno de capite bene de Sodalibus meritus, qui Beneventi vivebant. Ubi is decessit, praecepit Manera Beneventanis Sociis, ut nihil eorum praetermitteretur, quae grato in Archiepiscopum animo publice testificando forent. Factum est ergo, ut et a Sodalibus, et ab iuventute nostrum Gymnasium frequentante sollemnissime Bussio parentaretur. Magno cum funeris apparatu in eius animi expiationem litatum est. Post sacram hostiae litationem funebris laudatio ab

Eloquentiae Professore recitata, qua virtutes Bussii, meritaque omnia tum in Beneventanam Ecclesiam, tum in Societatem celebrabantur. Accessit publica, ac solemnis poëticarum lucubrationum recitatio. Nihil autem desideratum est in funereo musices concentu, si loci conditionem spectes, nihil in cetero apparatu.

LXVII. At Manera, qui satis nunquam sibi videbatur facere in probanda aliis sua grati animi testificatione, is ipse ab iis, in quos beneficia conferret, ne relatas quidem gratias expectabat. Quod si, ut debebas, gratias ei velles referre, ita verbis beneficia extenuabat, ut quasi videretur ipse tibi adhuc dum debere aliquid, non tu ipsi quidpiam. At praeclarum est quod subiiciam. Erat Manera ex iis hominibus sane perpaucis, qui deferre aliis beneficia vel maxima avent, sed occulte. Is cum ferret occasio tibi forte ipsi ignota, pro te studiose operabatur, in tui gratiam laborabat enixe. Cumque optatum impetrasset, nihil tibi aperiebat: recusabat enim gratias pro beneficio. Hac ipse occulta benefaciendi ratione plus vice simplici impactas cuipiam calumnias ignorata defensione dissolvit, ne dicam de laudibus, quas de te aliquando occulte apud eos texebat, qui ut vera de te scirent, tua intererat maxime. Quae occulta Manerae beneficia cum suo, uti fit, tempore cognosceres, qui poteras, si hominem te adhuc esse sentires, non aeterno illi obstringi amoris vinculo? Sed ad historiam revertamur.

Quo animo is in alios conferret beneficia.

LXVIII. Quadriennio Provincialis Praefecturae ea, qua diximus, laude Neapoli peracto, Manera anno salutis reparatae MDCCCXLVII mense Novembri ab supremo Sodalitatis moderatore Romam fuit

E Neapoli Romam revocatur.

revocatus. Utrum Neapolitana Provincia non dilexerit modo, sed amaverit Maneram, ex eo coniicies, quod nunquam cessaverit per litteras, per salutationes, perque alias testificationes gratum ei animum posthac patefacere. Quod profecto mihi non est minimum amoris indicium. Ut enim ab hominibus oblivioni eorum dari memoria solet, a quibus nihil licuit sperare, ita nunquam eorum obliterari solet memoria, qui suum nomen beneficiis aeternare maluerunt. In Urbe igitur Manera ex communi Sodalium voto fuit Collegio Romano ab Ioanne Roothaano praefectus. Socii omnes, ac praesertim iuniores id in maximi habuerunt beneficii loco. Spes enim in omnium animis exorta est dulcissima, futurum, ut Manera Rectore cuncta fortunarentur. Aetatem quisque sibi fere ominabatur auream, qua in pace rerum summa, in concordia animorum maxima, et disciplina domestica, et bonae artes quaeque, et studia cuiusvis generis omnia florerent. Neque inanis erat spes. Quis enim Manera esset, quisquis noverat probe. Sciebant quam humanam, quam urbanam, quam facilem sortitus natura esset indolem, qua praestantia polleret ingenii, qua animi foret magnitudine. Ut rem dicam paucis, Manera ubi expectatus quidem diu non tempore, sed desiderio pedem in hoc primum intulit Collegium, risus in ore omnium et spei et exultationis apparuit. Atque utinam placuisset superis isthanc spem alere, atque hanc laetitiam, exultationemque communem perpetuare! Quid non enim boni, quid non utilis, quid non etiam gloriosi ab Manera non potuisset sperari?

Praeficitur Collegio Romano.

Studiorum reformationem meditatur.

LXIX. Iam is excogitare non inaniter, neque in-

docte occoeperat, quî fieri posset, ut hisce temporibus studia ita temperarentur, ut commoda quaeque vetustae litteraturae cum progressu, qui in omni disciplinarum genere factus est, coniugarentur. Et sane Manerae mentem huic operi perficiendo dixisses aptissimam. Iam aliquot is designaverat, quos in adiutores vocaret. Immo iam aliquot Socios inchoabat, et quasi informabat perfectores operis. Sed in tempora incidimus adeo turbulenta, ut quae sunt pacis cogitata, prorsus perire debeant. Quî enim poterat Manera inter tot tumultus, strepitus, clamores, dubietates, anxietates, sollicitudines, angores, quibus hac tempestate non occupamur, sed opprimimur, operosissimum hoc negotium absolvere? Ad haec sive quod temporum perturbationes sentiret penitus, sive quod iam esset affectus, infirma coepit uti valetudine, neque obtigit semel inter annum, ut correptus febri ad plures decubuerit dies. Sive tamen sanus, sive aegrotus, aut melius aeger domesticam iuventutem ad virtutes omnes, atque ad studia alacri animo persequenda nunquam stimulare cessabat. Inutile est heic commemorare, qua iuvenes benevolentia, quo affectu caritatis prosequeretur, posteaquam antehac explicavimus, quî Manera in Societatis iuventutem fuerit animatus. At aliquid tamen heic addam novi.

LXX. Fortasse audisti iuvenes plerosque, qui in hoc Collegio studiis dant operam, ab externis huc accedere regionibus. Alii ex utriusque oris Americae, ex Hispania alii, alii ex Anglia, alii ex Gallia, alii ex Germania huc veniunt, ne de iis loquar, qui ad propiores spectant regiones. Si mores hominum cognoscere didicisti, non ignorabis,

Eius praecipua in externarum regionum iuvenes benevolentia.

quantum ii pro variis gentibus varii sint ac discrepantes. Tamen Manera is erat, qui Americanus cum Americanis, cum Hispanis Hispanus, Anglus cum Anglis, Gallus cum Gallis, Germanus cum Germanis fieri tibi videbatur. Cuiusque gentis personam induebat facile, ne dicam sollerter, et quasi ingeniose; neque unius personam exuebat, nisi ut aliam alterius indueret gentis. Non ergo miraberis si asseverem, Maneram plus forte ab externis iuvenibus fuisse defletum, quam ab Italis ipsis. Considerabat enim illos non paternam modo domum, sed et patriam, quam quisque natura quasi ut patrem ipsum amat, deseruisse, ut huc venirent. Propterea illam is, quae vel ab invitis sentiri tristitia solet ob longinquitatem patriae, amore, quo eos singulari complectebatur, leniebat. His faciliorem se dabat: horum rogationibus benigniores commodabat aures: saepius ad se hos arcessebat rogaturus peramanter an bene valerent, vel re egerent aliqua. Immo ut eos vel ex illa eximeret verecundia, quam homo externus tum experiri solet, cum ignota cogitur loqui lingua, is eorum sermone utebatur: plures enim sermones, ut supra memoravimus, didicerat, in adolescentia.

Quo amore Socii omnes eum prosequerentur.

LXXI. Neque iuvenum tantum tum amorem tum observantiam sibi Manera sua illa urbanitate, atque humanitate conciliaverat, verum et Sodalium omnium seniorum benevolentiam, qui eum uti magni aestimabant, ita et vehementer diligebant. Referrem heic quorumdam Sociorum dicta, quae quanti Manera fieret, sane ostenderent. Verum apud te necesse id non esse puto, qui novisse iam debuisti, tale Maneram sortitum fuisse ex natura ingenium, ut nisi id voluisses de industria, certe

illum non potuisses non amare. Socii omnes uno pene consensu non modo studebant nunquam ei displicere, sed placere prorsus. Quasi divinabant illius voluntates, ne eius postulationibus anteoccuparentur. Noverant autem Maneram esse in postulando modicum. Si quid enim vellet, id abs te petebat quasi verecunde, gratias tibi referens maximas vel ante ipsam rei factionem. Et pudebat quidem te aliquando gratias pro re accipere, de cuius successu tumet ipse deberes dubitare, cum nondum ei conficiendae manum admovisses.

LXXII. Sed quanti Sodales Maneram facerent, quantumque diligerent, ea profecto patefecit cura, quam omnes in iis praestandis adhibuerunt, quae is excogitaverat, ut Pium IX in hoc Gymnasium Gregorianum descendentem mense Iunio anni MDCCCXLVII, sin minus iuxta tanti Pontificis dignitatem, at non praeter eam, exciperet. Ne credas me heic ea velle omnia particulatim narrare, quae pro tanti Principis adventu agenda curavit Manera, vel ea distincte describere, quae Roma ipsa ad plures spectavit dies. Si enim id vellem, commentarii fines certe transgrederer. Ne tamen omnia silentio praeteream, aliqua heic tibi summatim indicabo, quae ut recte teneas, illud imprimis est necessum, ut loci conditionem tibi ob oculos ponam. Collegium Romanum atrium concludit quadratum satis amplum, quod porticu circum cingitur. Quatuor porticus ambulationes fornice teguntur concamerato, qui frequentibus sustinetur parastatis; cavaedium manet sub dio. Hoc igitur atrium, quod sua amplitudinis magnificentia erat apparatui opportunum, quanta potuit pompa ornandum curavit Manera. Erat cavaedium amplis-

Pii IX. P. M. in Collegium Gregorianum adventus.

Indicatur capitulatim apparatus pro tanti Principis adventu factus.

simo velo tectum, quod solis radios intercipiens aestivum mitigabat ardorem. Interni porticus parietes versicoloribus peristromatis convestiebantur, quibus sex supra triginta affixae erant imagines non inscite pictae, quae cum accommodis ἐπιγράφαις novem referebant Pontifices Maximos, amplissimos aliquot Purpuratos Patres, doctissimos quosdam viros, atque homines quinque in Sanctorum numerum relatos, qui Collegii Romani scholas olim cum frequentassent, in eo rudimenta suae vel amplitudinis, vel doctrinae, vel sanctimoniae posuerant. In media vero ambulatione, quae contra ianuam est, decempedalis pendebat imago almi Pontificis Pii IX, distribuentis ad aram Gonzagae devotam Sanctissimum Eucharistiae cibum Sodalitatis nostrae discipulis. E regione ad ianuae ingressum spectabatur dextrorsum alta, atque affabre picta tabella, quae Gregorium XIII referebat Collegii Romani fundatorem: sinixtrorsum vero imago Leonis XII, qui Collegium Gregorianum Sodalitati restituerat. E singulis vero parastatis contra tabellas inscriptiones pendebant vel arrectariae, vel transvorsariae, quae omnibus fere linguis exaratae universo terrarum orbi merita Pii IX manifestabant. Scriptores enim monumentarii inscriptiones dederant latinas, graecas, hebraicas, samaritanas, arabicas, syriacas, chaldaicas, copticas, aegyptiacas, punicas, sinicas, celticas, germanas, hispanas, et ne longus sim, omnibus fere ἰδιωμάτοις conscriptas tum vetustis, tum vigentibus. Porticus autem fornix stemmate Pii IX variatis coloribus multiplicato bellissimum in modum ornabatur. Ambulationum pavimentum pulvere puteolano sternebatur, tapete, ac myrto; cavaedium vero floribus

omnigenis, qui artificiose dispositi multa referebant pulchra visu. Haec dum spectaret Pontifex, hymni, quibus eius laudes celebrabantur, in cantum deducti ab orchestris quatuor, quae in quatuor cavaedii angulis erant collocatae, resonabant. Hymnorum cantiones excipiebant plausus discipulorum, qui in quatuor ambulationum circuitionibus ordinate erant distributi. Ubi Pontifex in sublimi sedit sella, Manera ad eius pedes provolutus gratias ei primum maximas retulit pro summa, quam ea die in Sodalitatem ostenderat, benignitate; dein eum rogavit, ut lubens illa acciperet munuscula, quae discipuli mox ipsi forent oblaturi. Cum annuisset Pontifex, statim accessere Theologi, qui plures dissertationes sane eruditas, quae Romani Pontificis iura vindicabant, dignitatemque amplificabant, obtulere. Dein Philosophi disquisitiones, elaboratas illas quidem, atque excultas, quae de Religionis vinculis cum civili iure docte, ac prudenter tractabant, dederunt. Hos Astronomi subsequebantur, qui praeclara sua donarunt reperta in accuratissimis descripta tabulis. Succedebant Ecclesiastici Oratores, qui conciones bene multas studiose elimatas, atque ad artis praecepta diligenter exactas exhibuerunt. Pone sequebantur Rhetores, qui et declamationes, et orationes sive latinas, sive italicas dabant, quae purgatissimum utriusque linguae redolebant sermonem. Agmen claudebant Poëtae, qui lucubrationes cuiusque generis, ac multis exaratas linguis praebebant, quibus benignissimi Pii IX laudes, atque immortalia celebrabant beneficia, sive quae in orbem contulerat universum, sive quae in Italiam, sive quae in Hiberniam, sive quae in Societatem

nostram, sive illud praesertim, quo voluerat eius diei memoriam tali tantaque in Sodalitatis nostrae discipulos benignitate aeternare. Quam hilari, quam amabili, quam benigno vultu litteraria discipulorum munuscula exciperet Pontifex, quantos illis faceret animos, quam humanis verbis eos ad maiora usque audenda exstimularet, non est cur heic enarrem. Dulcissima Pii IX maiestas, eius iucundissima dignitas, benevolentissima ipsius amplitudo omnium spectatorum animos perfundebat. Horum ora, vultus, gestus, intuitiones, risus, exultationem, plausus, ovationem, et prope dixerim triumphum vivis verborum coloribus pingere deberem. At ne nimio plus, quam par sit a proposito digrediar, angustis commentarii finibus vetor. Quare ad Maneram revertor, qui eorum omnium, quae memoravi, auctor fuit.

Male se Manera habere occipit.

LXXIII. Talis, tantaque laetitia, quam in Pontificis adventu expertus Manera est, uti summa ipsi fuit, ita et suprema. Paucos enim post dies languescere insolentem in modum coepit. Tempestatis aestivae ardoribus tributus primum languor. Quare ubi in dies crescere visus est, e re esse Medici sunt arbitrati, quae viribus aegroti reficiendis, atque corroborandis foret, si balineis membra per nimium aestatis ardorem fere dissoluta, ac fatiscentia refrigerarentur. Et quoniam spes erat, futurum, ut si sub patrio coelo balineis uteretur, hae ipsi evaderent utiliores, missus Neapolim fuit mense Iulio an. MDCCCXLVII. Verum ubi Neapolim tenuit, corrumpi coeli temperies coepit: quare vix paucis in littore Surrentino usus lavationibus fuerat, cum cessare coactus est, tempestate adversante. At languor tamen non modo

Neapolim repetit.

non decrescebat, sed per aestuantem coeli Neapolitani aërem aggravescebat in dies. Quapropter Manera cum neque balinearum beneficio, neque solita aëris patrii salubritate uti posset, post unum commorationis mensem remigravit Romam Sextili exeunte. Quanta fuit laetitia, qua Socii omnes reducem parentem complexi sunt, tanta ex eo nata in omnium animis moestitia, quod commodi nihil, incommodi autem plurimum ex importuno illo itinere, atque Neapolitana commoratione retulerit. Revera ex eo tempore macrescere in dies magis, ac vultu pallescere coepit. Is ipse fatebatur, sibi sub Neapolitano coelo melius nihil esse factum, atque ex eo uno voluptatis quidpiam per eam itionem coepisse, quod salutare iterum, ac revisere eos potuerit, quibus Neapoli familiarissime tot annos fere a condiscipulatu usus fuerat.

Post Romam reditum morbus in dies aggravescit Medicis ignoratus.

LXXIV. Paulo post reditum sive quod itinere debilitatus nimium foret, sive quod factam aëris mutationem admodum persenserit, ita vires ei concidere coepere, ut saepe deficeret, atque σπασμοῖς cruciaretur crebris. Medicus eum declarat neuricum: quare extenuandas eius definit vires, ne insolescerent, uti in neuricis adsolet. At nihil hac curatione deterius. Manera iussus decumbere, cubatione defatigabatur in dies. Ad frequentes virium defectiones, quae quotidianae iam evaserant, accessit febris, quae variis intermittebatur περιόδοις, nunquam tamen aegrotum penitus deserebat. Cum aggravescere morbus visus est, plures acciti Medici, qui e communi sententia de eo consultarent. At, sit veritati locus, quantum ii adlaboraverint in morbo tentando, et cognoscendo, frustra cum adnisi sunt perspicere. Autumarunt,

et febrim, et languorem, et virium defectiones, aliaque morbi indicia e nervorum irritatione produci. Quoniam vero Mancra manu saepe ad laevum pectoris latus admota, magno illic se dolore affici, et quasi discerpi se ibi aiebat, atque sentire *trepidationem*, ut eam vocabat, *mortalem*, iudicarunt Medici, hypochondrion sinistrum esse affectum, atque huius affectioni omnia esse tribuenda. Verum et in hoc fallebantur. Hypochondrii enim affectio causa non erat, sed ceterarum affectionum effectus. Interea temporis pectus inflammabatur, febris rheumatica accedebat, ventriculatio, aliaeque id genus affectiones eum cruciabant. Etsi autem obstinatus admodum, ac difficilis esset morbus, nihil tamen a Sodalibus non tentatum, ut illius pertinacia expugnaretur. Quot quantaque venire in mentem pluribus Medicis possunt morbum nondum perspectum cognoscendi cupidissimis, tot, tantaque sunt accuratissime tentata, vel cum dixisses, nil esse quibusdam tentaminibus commune cum morbo.

Quae morituri forent sententiae.

LXXV. At omnia experimenta aggravando morbo potius visa sunt serviisse, quam levando. Quod revera aegrotantem non minimum levabat, familiaris erat cum Sodalibus collocutio. Tametsi languidus adeo erat, ut vix loqui posset, tamen quisquis ad ipsum vellet visere, is eum excipiebat humanissime. Saepe, prohibente Medico. ne Socios exciperet, quod nimia collocutione fatigaretur, quadam quasi aegritudine affectus est. De rebus vero divinis loqui praeoptabat: suspirans identidem fluxum rerum humanarum deplorabat. Miserabatur homines, qui illecebris irretitam, ac voluptatibus deditam vitam cum transegerint, illuc mo-

menti deducti, quo valedicere omnibus debent, disrumpuntur dolore, et nimiopere cruciantur. *Quam iucundum est*, aiebat, *decessuris animum a voluptatibus cohibuisse! Quam bona, atque animosa fronte is D. O. M. sistet se homo, qui in eius amorem remisit omnibus nuntium!* Atque heic homo demississimus in se oculos convertens de sua vita apud Socios deplorabat. *Quis scit*, aiebat, *qualis ad Deum inveniar! Me miserum, qui tot tantaque Religionis adiumenta irrita cadere sum passus! Utinam religiosae vitae curriculum nunc mihi daretur occoeptare! Quantum diversus ab illo esse cuperem, qui meo malo fui!* Haec aliaque pro sua animi demissione subiectissime apud Socios exponebat, ac praesertim apud supremum moderatorem Ioannem Roothaanum, a quo veniam etiam erratorum omnium, in quae forte per vitae religiosae cursum offenderat, geminatis precibus flens postulabat. Ut rem expediam paucis, Manera eo se non tam demissionis, quam abiectionis deiiciebat, ut continuo egeret solatore, et quasi hortatore, qui eum ad bene de se, uti par erat, sperandum excitaret. Homo enim, cuius animus erat timidus, humilis, demissus, mortis conspectum, quamdiu vixerat, incredibilem in modum perhorruerat: ac saepe dicere erat solitus, se ad mortis cogitationem totum contremiscere; atque exinde illud erat, quod cum aliorum se precibus commendaret, id ab iis unum vellet impetratum, ut mortem sibi a Deo placidam, propitiamque implorarent. Et impetravit vero. Soluta enim culpis totius vitae anima, ac sumpto viatico cibo maximo cum pietatis religiosae sensu, acceptaque reverenter benedictione Pontificia, quam Pius ipse IX pro singulari, qua eum

complectebatur benevolentia, bis ei impertiendam a se miserat, placidissime efflavit animam VI Kal. Oct. an. MDCCCXLVII sub eius diei vesperum Ss. Martyribus Cosmae, ac Damiano sacrae, qua primum Societas nostra a Paulo III. P. M. Constitutionibus Apostolicis fuerat confirmata.

Quae fuerint post eius obitum per Societatem acta.

LXXVI. Quanto eius obitus et Roothaano, et ceteris Sodalibus fuerit dolori, tumet ex iis coniicito, quae de Manerae virtutibus diximus. Ille filium dilectissimum: hi parentem quasi suum amisisse crediderunt. Societas vero universa Manerae iacturam sensit acerbissime. Manera enim ex iis Sociis erat, hisque perpaucis, qui per haec tenebricosissima tempora prodesse Societati multum poterat. Id Socii viderunt; id et externi quoque homines sive amici, sive inimici. Elatus est die insequenti, humili, ut mos est Societatis, funere, sine ulla pompa. Propitiantem pro eius anima hostiam ipse Roothaanus offerre Deo voluit. Sodales reliqui exequiis adfuere. Post exequias dissectum est cadaver, ut tandem cognosceretur, cuius morbi vi Manera cecidisset victus. Viscera omnia erant intacta: incorrupta praecordia: cor sanum: hepar integrum: dissipium ac cetera intestina integerrima. Mirabantur Medici. Verum ubi chirurgicis ferramentis latus sinistrum penitius fodicari iubent, tentantque arterias, inveniunt in laeva pectoris parte sub hypochondrio magnam illam arteriam, quae a sinistro cordis sinu oritur, diciturque ἀορτή, ad digitos ferme tres dilatatam. Tum mirari Medici desinunt, suamque causari inscitiam. Quis enim abditissimam illam affectionem fuisset suspicatus? Vel si medica cuipiam experientia dedisset illam cognoscere, quidnam ei remedii afferri

potuisset? Arbitrati sunt Medici, venam illam non paucorum dierum, aut mensium spatio dilatari adeo potuisse, sed multis annis ante affici coepisse. Eius corpus inlatum est ad S. Ignatii in commune Sodalium requietorium. Si per tempora licuisset, fortasse eius memoriae laudandae aliquid et a Sociis, et ab amicis fuisset factum amplius. Non defuit tamen, qui funebri laudatione (1) in sollemni studiorum instauratione eius vitam gestaque prosequenda curaverit. Sed quoniam pro temporis, quibus orator premebatur, angustiis, pauca admodum ad laudem apta conquirere, et colligere potuit, ego laudationi illi funebri hanc volui adiectam totius vitae descriptionem, tum ut memoriae tanti viri aeternandae uberius iretur consultum, tum ut et Sodalibus, et amicis exhiberem aliquod mei amoris erga illum specimen, qui ex quo me cognovit, fuit perpetuo mei amantissimus, meorumque studiorum fautor, adiutorque benevolentissimus.

(1) Ioannes Marcuccius Eloquentiae Latinae in Romano Collegio Professor orationem supra memoratam elucubratus est, quam deinde impulsus plurium tum amicorum, tum aliorum doctorum hominum rogatu typis Romae mandavit Marinianis, ac Morinianis, nomine sublato. At meum tamen esse non debebat pati eius nomen heic tacitum praeteriri, qui, quantum per angustias temporis licuit, Manerae memoriae studuit laudandae, ac perpetuandae.

VITAE CONSPECTUS

